

DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.

**Commentarii in materiam de peccatis
(1^a 2^{ae}, q. 88, aa. 3, 4, 5 y 6)**

Edición y notas
Eduardo Moore, S.I.
José I. Terry, S.I.

Articulus 3^{us}

Utrum veniale sit dispositio ad mortale

Affirmant, non solum D. Thomas hic¹, sed etiam communiter Sancti Patres. Augustinus, sermone 244 de tempore, post medium², *noli, inquit, despiciere peccata tua quia parva sunt nam et pluviarum guttae sunt et flumina complent et moles trahunt et arbores cum suis radicibus tollunt*; unde in id Ps 66 [5]³ *gentes in terra dirigit docet* quotidie orationibus et ieiuniis exhauriendam esse aquam quae per rimulas intrat in sentinam, ne obruat, et in id Ps 39 [13]⁴ *multiplicati[ae] sunt super capillos capitis mei*, inquit: *si [f.118] vitasti grandia vide obruaris arena*; vide illum,

¹ THOMAS AQ. *Summa Theologiae*, 1.2., q.88, a.3: ed. leonina 7, 135s.

² AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, In Ps 129: CCL 40, 1893; PL 37, 1699s.

³ ID., *Enarrationes in Psalmos*, In Ps 66, 7: CCL 39, 865; PL 36, 810.

⁴ ID., *ibid.*, In Ps 39, 22: CCL 38, 441; PL 36, 447s.

serm. 88, prope initium⁵ et tract. 12 *In Ioannem*⁶. Idem docet Hieronymus, *Ad Celantiam*, epist.1, cap.1⁷; Chrysostomus, in c.2 Geneseos, hom.2⁸ et hom. 87 *In Matthaem*⁹ et 1 Cor, hom. 8¹⁰, et ad idem valde facit sermo D. Chrysostomi *De levium peccatorum periculis*, tomo 5¹¹, unde D. Bernardus, in id *Cantici* [2 12] *tempus putationis advenit*, serm.59¹², virtutem ait languere et suffocari nisi crebro amputentur surgentium vitiorum capita. Idem, licet non tam expresse docet Isidorus, l.2 *Sententiarum* sive *De summo Bono*, cap.10¹³; vide Basilium, oratione 3 *De ieiunio*¹⁴ et in *Regulis brevioribus*, interrogatione 4¹⁵, et ex Caesario Episcopo, Eusebio Emiseno et Ioanne Climaco apud Dionysium Cartusianum, 1, d.17, q.9, § Haec positio¹⁶ et ex Plutarco, Seneca, Plauto et Plinio apud Medina hic¹⁷.

PROBAT D. Thomas primo, Eccli 19 [1] *qui spernit minima paulatim decidet*, ubi quamvis de temporali lucro operarii sermo sit, nihilominus supra universaliter probata est et ideo de venialibus peccatis accipi potest, ut intelligit D. Thomas hic¹⁸, D.

⁵ ID., *Sermo 56* c.9: PL 38, 383.

⁶ ID., *In Ioannis Evangelium tractatus CXXIV*, tr.12, 14: CCL 36, 129; PL 35, 1492.

⁷ HIERONYMUS, *Epistula 148 (Ad Celantiam)*, 6: CSEL 56, 334; PL 22, 1207, 6.

⁸ No hemos logrado verificar esta cita.

⁹ JUAN CRISÓSTOMO, *Super Matthaem commentarii*, Ex cap. 27, hom. 87: Paris 1588, t.2, col. 599; PG 58, 767s.

¹⁰ ID., *In epist. 1 ad Cor.*, hom.8, n.4: PG 61, 73.

¹¹ ID., *De levium peccatorum periculis*: Paris 1588, t.5, cols. 709ss.

¹² BERNARDUS CLARAVALLENSIS, *Sermones in Cantica*, sermo 58, 4: Ed. Cistercienses, t.2 (Roma 1958), p.129; PL 183, 1057.

¹³ ISIDORUS HISP., *Sententiarum libri tres*, l.2, c.10: PL 83, 610.

¹⁴ PSEUDO-BASILIIUS, *De ieiunio*, oratio 3, 1: PG 31, 1507.

¹⁵ BASILIUS CAESARIENSIS, *Capita regularium brevius tractatarum*, Interpretatio 4: PG 31, 1083.

¹⁶ DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In Sententiarum librum I commentarii locupletissimi*, d.17, q.9, § Haec positio: Venecia 1584, p.327b-329a.

¹⁷ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.88, a.3: Venecia 1602, p.466a.

¹⁸ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, l.2, q.88, a.3: ed.leon. 7, 137b.

Gregorius, 10 *Moralium*, cap.14¹⁹ et 3 p. *Curae pastoralis*, admonit.34²⁰, *Glossa ordinaria*²¹, Lyra²² et Iansenius²³ ibi.

Ratio autem praecipue sumitur ex convenientia peccati mortalis cum veniali, propter quam datur facilis transitus ab uno in aliud. Huius autem convenientiae triplex gradus est: 1^{us} et maximus, quod idem numero peccatum in esse physico, quod defectu libertatis est veniale, potest fieri mortale habita libertate; et in hoc gradu affinitatis apertissimum est venialia disponere ad mortalia, ut non satis deliberatum desiderium adulterii aut vindictae disponit ut idem desiderium maneat post plenam deliberationem. 2^{us} gradus convenientiae est in amore alicuius finis creati, licet differentia sit in illius appretiatione; sicque quando peccata sunt venialia ex genere aut parvitate materiae, disponunt ad mortalia circa eandem materiam, sicque furta levia frequentius repetita inflammant sitim alienae pecuniae, quae postea incitat ad furta gravia; et quanto quis frequentius loquitur verba otiosa tanto intensiorem habitum acquirit inordinate amandi voluptatem illorum, et ideo vehementius inclinatur ad illa proferenda non intendendo Deum ut ultimum finem actus, quapropter disponitur ut amet voluptatem illorum non solum ut finem operis, sed etiam ut finem partialem personae, tanta scilicet appretiatione ut virtute illius nihil curaret de divino praecepto etiamsi sub mortali prohiberet verba otiosa. 3^{us} et imperfectissimus gradus convenientiae est quae reperitur in omni veniali respectu cuiusque mortalis, scilicet quatenus peccatum veniale deordinationem actualem a Deo continet, et propterea disponitur operans ut graviorem deordinationem non solum in actu, sed etiam in persona admittat.

¹⁹ GREGORIUS MAGNUS, *Moralia in Job*, 1.10, c.11: CCL 143, 552, 31-34; PL 75, 933.

²⁰ ID., *Regulae pastoralis liber*, Tertia pars, Admonitio 34: PL 77, 115s.

²¹ *Glossa ordinaria*, Eccli 19,1: PL 113, 1203.

²² N. LYRA, *Postillae*, : *Bibliorum Sacrorum cum Glossa Ordinaria... et Postilla Nicolai Lyrani*, t.3: Lyon 1590, fol.2063.

²³ C. JANSSENS, *In Ecclesiaticum commentaria accuratissima*, c.19 1: Lyon 1580, f.17v.

Adverte ex D. Thoma hic, ad 3²⁴, peccata venialia non per accidens, sed per se disponere ad mortalia, 1^o, quia sunt imperfectum quid in genere peccati, et via ad perfectum; 2^o, quia per se sunt similia, et inter similia per se est transitus; 3^o, quia illis per se crescunt amores inordinati creaturarum quibus directe retrahimur a Deo. Sed hic modus causandi non est tam proprie per se sicut calor per se disponit ad ignem, tum quia pluribus venialibus commissis non est necessarium committi mortale, tum etiam quia mortale quandoque committitur nullo praecedente veniali, unde veniale est dispositio faciliorem et probabiliorem reddens lapsum in mortale. Et haec dispositio dicitur esse per se comparatione alterius dispositionis vel potius occasionis quae quandoque ex bono opere sumitur ad peccandum mortaliter, quod est omnino per accidens.

Articulus 4^{us}

Utrum peccatum veniale possit fieri mortale

Dubitatur 1^o

Utrum unicum veniale possit fieri mortale

Suppono ut certum contingere posse illud quod antea erat veniale ex genere fieri mortale, idque variis modis: 1^o ratione contemptus, qui explicabitur infra dubio 3. 2^o, quia constituitur finis in objecto illo peccati venialis, quod explicabitur infra, dubio 4, sicque Glossa 25 d § Nunc autem, versic. *Hinc etiam*²⁵ et communiter scholastici, infra, adducunt illa celeberrima verba Augustini: *nihil est adeo veniale quod non fiat mortale dum placet*²⁶, scilicet per contemptum aut consti-

²⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.88., a.3: ed.leon. 7, 136b.

²⁵ C.I.C., c.3, D.XXV: ed. *Decretum Gratiani... una cum Glossis*, Roma, 1582, col. 162.

²⁶ Friedberg, en su edición del *Decretum Gratiani*, c.3, D. XXV, col.92, en las "Notationes correctorum" dice: "Nullum peccatum: in glossa ordinaria in cap. 11, 1 Cor, ad ea verba *reus erit Corporis et Sanguinis Domini*, citatur haec

tuendo finem in eo. 3º modo peccatum veniale fit mortale addito illi fine mortaliter malo, ut si dicam verbum otiosum propter adulterium, quos modos tradit hoc articulo, corpore²⁷, ubi Conradus²⁸, Caietanus²⁹, et alii. D. Bona-ventura, d.16, a.3, q.1³⁰; Alexander, 2 p, q.124, mem. 3³¹; Altissiodorensis, 2 p, tract.38, cap.2, in 4 d. mortalis et venialis³²; Albertus, 2 p, tract.18, q.114, mem.4, a.4³³; Paludanus, 4, d.16, q.1, fine³⁴; Angelica, *Peccatum*, nº 4³⁵; Sylvester, *Peccatum*, nº 3 et 4³⁶; Aegidius, 2, d.24, [f.119] p.2, q.2, a.5³⁷; vide Adrianum, *Quolibetica* 7, a.2³⁸; et

sententia ex B. August. homilia 24 in Ioannem, in haec verba: *nullum peccatum veniale est, dum placet, quantumcumque parvum: sicut mortale, si vere displicet, nullum iudicatur*". No corresponde literalmente al texto del Decreto. Tampoco hemos podido encontrar esas palabras en el *Tractatus 24 in Ioannem*. Ni las palabras citadas por Ruiz de Montoya en el texto. La idea se encuentra muchas veces en las obras de S. Agustín.

²⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., a.4 c: ed.leon. 7, 137.

²⁸ CONRADUS KOELLIN, O.P., *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S.Thomae Aquinatis*, q.88, a.4: Venecia 1589, p.704b.

²⁹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti.Thomae*, 1.2., q.88, a.4c: ed.leon. *Operum Sti.Thomae*, 7, 137.

³⁰ BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 4, d.16, p.2, a.3, q.1: Opera omnia, Quaracchi 1839 (t.4) p.409b.

³¹ ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 p., q.124, mem.3: ed. 1516, f.270a.

³² GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa Aurea*, 1.2, tr.15, c.3, q. 1 y 2: ed. París-Roma 1982, p.536, 539.

³³ ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tr.18, q.114, mem.4, a.4 ad 4: Opera omnia, Paris 1895 (t.33), p.343b.

³⁴ PETRUS A PALUDE, *Lucubrationum Opus in Quartum Sententiarum*, d.16, q.1, a.3, n.39: Salamanca 1552, p.194b.

³⁵ ANGELUS CHIVASSO, *Summa Angelica*, v.Peccatum, nº 4: Venecia 1525, f.522.

³⁶ SYLVESTER PRIERAS, *Summa summarum*, v. Peccatum, nº 3 y 4: Lyon 1553, p.2, p.280.

³⁷ AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, p.2, q.2, a.5: Venecia 1581, t.2, 290.

³⁸ ADRIANUS SEXTUS, *Quaestiones quolibeticae*, q.7, a.1: Padua 1522, [reproducción New Jersey, USA 1964] fol.37b, Secundo.

Paludanus, Angelus et Sylvester addunt alium modum quo veniale fit mortale, scilicet si peccans existimet esse mortale, de quo ubi de conscientia, q. 19, a.5 et 6. Ceterum inter hos doctores non constat utrum in hac transmutatione peccati venialis in mortale maneat identitas specifica vel numerica peccati et :

1^o, manere identitatem specificam affirmant Paludanus, Angelus et Sylvester, sed non satis explicant utrum loquantur de morali specie vel de physica. At vero Richardus, 4, d.16, a.1, q.2³⁹, manifeste ait peccatum, specie physica et morali idem, posse fieri ex veniali mortale.

2^o, non manere eandem speciem videtur sentire Alexander, 2 p, q.114, mem.3, fine⁴⁰ et D. Thomas hic ad 4⁴¹, licet in corpore magis videatur favere oppositae sententiae⁴².

3^o, quod attinet ad differentiam numericam, Richardus, 4, d.16, a.2, q.2⁴³, et Aegidius, 2, d.24, p.2, q.2, a.5⁴⁴; Conradus, hoc a. in fine corporis et ad 2 et 3⁴⁵, dicunt veniale fieri mortale manens idem numero in esse naturae, sed non in esse moris. Et videntur hi doctores loqui non solum de exteriori peccato, sed etiam de interiori, quod expresse docet Almainus, 3 *Moralium*, cap.21⁴⁶. Et colligitur haec sententia

³⁹ RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quarto Sententiarum*, d.16, a.2, q.2: Venecia 1499, f.104r.

⁴⁰ ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 p., q.124, mem.3 fine: ed. 1516, f.270b.

⁴¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.88, a.4 ad 4: ed. leon. 7, 137b.

⁴² ID., *ibid.*, q.88, a.4c: e.c.137a.

⁴³ Véase la nota 39.

⁴⁴ AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, p.2, q.2, a.5: Venecia 1581, t.2, 290.

⁴⁵ CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.4: Venecia 1589, p.704b, 705b, 706a.

⁴⁶ J. ALMAIN, *Opuscula, Moralia*, tr.3: De virtutibus moralibus et vitiis oppositis, c.21: An veniale possit esse mortale: Paris 1518, f.73r-v.

ex Durando⁴⁷, Cartusiano⁴⁸, Bonaventura⁴⁹, Caietano⁵⁰, Soto⁵¹ et aliis citatis supra, q.18, a.5, dub. 4⁵², dicentibus eundem numero actum interiorem fieri ex bono malum. Praeterea, Zumel in hoc articulo, dub.1, concl. 1 et 3⁵³, ait manere identitatem numericam non solum in esse naturae, sed etiam in esse moris.

1^o PROBAT Almainus quia contingere potest ut quando habeo volitionem venialiter malam, ut comedendi carnes plus nimio, tunc imponatur mihi praeceptum sub mortali ne continuem illam eandem volitionem, et tunc si continuem, erit peccatum mortale eadem ipsa volitio, et idem erit si ego voveam non continuare illam.

2^o PROBAT Zumel quia si prius conscientia dictabat aliquam actionem esse venialem, et postea, sive vere sive erronee dictet esse mortalem iam iam erit mortalis, et tamen erit eadem actio.

3^o quia idem numero actus potest intendi; ergo idem numero actus potest extendi ad maiorem materiam; sed hac extensione data furtum ex veniale fiet mortale; ergo.

[f.119v] 4^o Paludanus, 4, d.16, q.1, fine⁵⁴, ait eundem

⁴⁷ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.42, q.6, ad 1: Amberes 1566, fol.202, n.12.

⁴⁸ DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In Sententiarum librum II commentarii locupletissimi*, d.42, q.1: Venecia 1584, p.582b.

⁴⁹ BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 4, d.16, p.1, a.3, q.1: ed. cit. p.409.

⁵⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa St. Thomae*, 1.2., q.88, a.4: ed. Operum Sancti Thomae, 7, 137.

⁵¹ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus primus*, d.15, q.2, a.1, § *Hic animadvertendum* : Salamanca, 1557, p.727.

⁵² No conservamos estos comentarios.

⁵³ F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.88, a.4, dub.1, concl. 1 y 3: Salamanca 1594, t.1, p.704 a y b.

⁵⁴ PETRUS A PALUDE, *Lucubrationum Opus in Quartum Sententiarum*, d.16,

numero actum exteriorem posse fieri ex veniali mortale peccatum. Et probat quia potest simul esse bonus et malus, quae magis distant quam mortale et veniale. Asserit praeterea non posse eundem numero actum interiorem ex veniali fieri mortale. Idem videtur sentire D. Bonaventura, 4, d.16, a.1, q.1⁵⁵.

5^o D. Thomas hic, corpore et ad 2⁵⁶, et Alexander, 2 p., q.124, mem.3, c⁵⁷, absolute negant eundem numero actum fieri ex veniali mortale.

Sed huius resolutio, tam quoad identitatem specificam quam quoad identitatem numericam, colligi potest facile ex dictis supra a.1, dubio 15⁵⁸.

Unde DICO 1^o: *Contingit saepe in transmutatione peccati venialis in mortale, manere aliquam speciem moralem eandem, licet aliqua alia species moralis denuo adveniat, modo explicato a.1, dub.15, concl.1⁵⁹, ut cum prius volebas proferre verbum otiosum sine alio fine malo, et postea vis proferre illud verbum otiosum propter fornicationem. Illa deformitas otiosi actus manet in esse morali eadem species quae antea erat licet coniuncta sit cum alia malitia diversa mortali, et quoad hoc recte procedunt doctores citati numero 1. Sed utrum maneat eadem numero haec ratio moralis, nihil refert ad rem theologicam; videtur autem contrahere diver-*

q.1, a.3, n.39: Salamanca 1552, p.194b.

⁵⁵ BONAVENTURA, *Commentaria in 4 Libros Sententiarum*, 4, d.16, a.3, q.1: ed. Quaracchi 1839 (t.4) p.409b.

⁵⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.88, a.4c et ad 2: ed. leon. 7, 1137.

⁵⁷ ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 p., q.124, mem.3: ed. 1516, f.270.

⁵⁸ D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, 1.2., q.88, a. 1 y 2, dub.15: ArchTeolGran 54 (1991) 309s.

⁵⁹ ID., *ibid.*: *ibid.*

sitatem numericam, ex diverso subiecto physico quod necessario supponit, ut dicitur infra.

DICO 2^o: *Quando peccatum est veniale ex solo defectu libertatis, et adveniente plena libertate fit mortale, tunc potest manere peccatum in esse physico idem specie et numero, sed variabitur aliqua species moralis ratione diversae imputabilitatis, ut explicatum est in eodem dubio 15, concl. 2 et 3⁶⁰.*

DICO 3^o: *Quotiescumque peccatum est veniale sine defectu libertatis, non potest transire in mortale nisi varietur non solum numero sed etiam specie physica, ut probatum est in eodem dubio 15, concl.4⁶¹.*

Ex iis colligitur numquam transire veniale peccatum in mortale sine variatione specifica et numerica, vel in esse physico vel in aliquo esse morali, quamvis simul etiam maneat identitas quandoque quoad aliam speciem moralem. Quod praeterea confirmat D. Thomas, quia peccatum veniale infinite exceditur a mortali, supra, a.1, dubio [f.120] 5⁶², finiti autem ad infinitum non est transitus intra eandem speciem et numerum.

4^a CONCLUSIO: *Praedicta de identitate et distinctione numerica et specifica non solum intelligenda sunt de actu interiori, sed etiam de actu exteriori in quantum actus humanus est. Probat D. Thomas hic, quia unitas actus exterioris in quantum actus humanus est sumitur ab unitate volitionis a qua denominatur unus actus humanus, de quo dictum est late, q.20, a.3 et 4⁶³.*

⁶⁰ ID., *ibid.* : *ibid.* p.310s.

⁶¹ ID., *ibid.*: *ibid.*, p.311s.

⁶² DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, q. 88, aa.1 y 2: ArchTeolGran 53 (1990) 195-205.

⁶³ Comentario que no conocemos.

Ad fundamentum Almaini RESPONDEO: si me volente comedere carnes volitione mala venialiter, Deus mihi praecipiat sub mortali ne continuem talem volitionem, et ego adverto aut possum advertere huiusmodi praeceptum, licet possim adhuc velle comedere carnes; verumtamen impossibile est ut hoc velim nisi volitione diversa a praeexistente, nam praecedens volitio carnum non amabat illas supra Deum, sed praesens volitio necessario amat illas supra Deum; nec mirum est variata appretiatione obiecti variari actum, praesertim quia hic advenit novum obiectum, scilicet novum praeceptum quod contemnitur.

Ad 2^{um} Zumelis RESPONDEO: similiter quando conscientia, sive errans sive vera dictat malitiam moralem quam antea non dictabat, tunc impossibile est amari idem obiectum, nisi amore specie diverso quo anteponatur divinis praeceptis.

Ad 3^{um} RESPONDEO negando consequentiam, quia intensio non mutat obiectum ac proinde non mutat totum actum: at vero extensio ad maius obiectum addit novas partes obiecti ac, praesertim in hoc casu, mutat appretiationem et formalem modum tendendi, ac proinde mutat totum actum.

Ad fundamentum Paludani RESPONDEO non posse actum exteriorem esse bonum et malum manente identitate illius in esse actus humani, quamvis possit manere identitas in esse naturali, de quo supra, q.20, a.6⁶⁴.

⁶⁴ No nos ha llegado este comentario.

Dubitatur 2^a

Utrum plura venialia efficiant unum mortale

Videtur affirmare D. Augustinus, epist. 108 *Ad Seleptianum*, tomo 2⁶⁵, dicens: Multa venialia obruunt sicut aliquod grande peccatum, et epist. 29 *Ad Hieronymum*⁶⁶ et in Ps.118, concione 3⁶⁷ et tract.12 *In Ioannem*⁶⁸ et tract.1 *In epist.Ioannis*⁶⁹. Sed praesertim idem Augustinus in homilia *De igne purgatorio* relatus a Gratiano d.25, § *Nunc autem*, vers. *Alias*⁷⁰, in numero peccatorum mortalium [f.120v] dicit constituendam esse ebrietatem si assidua sit, unde occasionem sumpsit Gratianus dicendi multa peccata procedere ex deliberatione, quae nisi saepius iterata et in consuetudinem fuerint deducta non perdunt aeternaliter.

Quod attinet ad ebrietatem dicitur infra, a.5. Nunc vero quoad venialia in generali communis sententia scholasticorum explicat venialia plura disponere ad mortale, ut dictum est in a.3⁷¹.

Nihilominus *venialibus pluribus non constituitur et integratur unum mortale*. Ita D. Thomas hic, a.4c⁷²; Alexander, 2 p, q.124, mem.3 ad 2 et 3⁷³; D. Bonaventura, 4, d.16, a.3, q.1⁷⁴, ubi

⁶⁵ AUGUSTINUS, *Epistula*, Clasis 4, 265 (olim 108): PL 33, 1089.

⁶⁶ ID., *De sententia Iacobi liber, seu epistola 167* (alias 29) 6 20: CSEL 44, 608; PL 33, 741.

⁶⁷ ID., *Enarratio in Ps 118*, sermo 3: CCL 40, 1672; PL 37, 1508.

⁶⁸ ID., *In Ioannis evangelium tractatus CXXIV*, tr.12: CCL 36, 129; PL 35, 1492.

⁶⁹ ID., *In epistolam Ioannis ad Parthos tractatus decem*, tr.1, 6: PL 35, 1982.

⁷⁰ AUGUSTINUS, *Sermones*, (appendix, 104): PL 39 1946. - CIC, c.5, D.25, § *Alias autem* : ed. Friedberg 1, 94.

⁷¹ Véase p. 213.

⁷² THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.88, a.4c: ed. leon. 7, 137b.

⁷³ ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 p., q.124, mem.3 fine: ed. 1516, f.270ab.

⁷⁴ BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 4, d.16, a.3, q.1 y Scholium: ed. Quaracchi 1839 (t.4) p.409s.

Paludanus, q.1, fine⁷⁵; Richardus, a.2, q.2⁷⁶; Almainus, 3 *Moralium*, c.21⁷⁷; Aegidius, 2, d.24, p.2, q.2, a.5⁷⁸; Scotus, 4, d.21, q.1⁷⁹.

PROBATUR 1^o a priori: quia non potest committi peccatum mortale nisi anteponatur creatura Creatori et fiat ultimus finis personae, supra a.1, dub.1; atqui in omnibus peccatis venialibus etiamsi infinita coacerventur non anteponitur creatura Creatori. Nam licet infiniti amores colligantur, non propterea erit appreciative magis amatum obiectum; sicut licet infinites ames mancipium tuum non propterea amabis magis appreciative quam semel amasti filium.

CONFIRMATUR 1^o, quia venialia differunt specie a mortalibus, quare licet multiplicentur non transibunt ad aliam speciem. Haec ratio non procedit in eo peccato quod est eiusdem speciei physicae cum mortali, sed est veniale solo defectu libertatis, in quo tamen procedit alia ratio, quia scilicet licet infinites repetatur talis actus cum deliberatione secundum quid, adhuc non est simpliciter imputabilis sed tantum secundum quid.

CONFIRMATUR 2^o, quia eodem praecepto prohibentur omnia mendacia; sed totum illud praeceptum non est de virtute simpliciter necessaria ad salutem, sed tantum secundum quid; ergo licet saepius illud transgrediaris non amittes gratiam.

2^o PROBATUR, quia malitia peccati venialis infinite minor est mortali; ergo quamvis saepius multiplicetur non attinget malitiam mortalis. Antecedens probatum est supra, a.1, dub.5, prope finem.

⁷⁵ PETRUS A PALUDE, *Lucubrationum Opus in Quartum Sententiarum*, d.16, q.1: Salamanca 1552, p.194b. Esta afirmación no la hemos encontrado.

⁷⁶ RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quarto Sententiarum*, d.16, a.2: Paris 1499, f.104r b H.

⁷⁷ J. ALMAIN, *Opuscula, Moralia*, tr.3: De virtutibus moralibus et vitiis oppositis, c.21: An veniale possit esse mortale: Paris 1518, f.73vb.

⁷⁸ AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, p.2, q.2, a.5: Venecia 1581, t.2, 290.

⁷⁹ IOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum quartum Sententiarum*, d.21, q.1, 5: ed. Vivès, t.18 (Paris 1894), p.703a.

Nunc probatur a D. Thoma a posteriori: est enim infinita distantia inter poenam peccati mortalis et venialis. 1^o quidem in poena sensus, quae licet commensurari possint quoad intensionem non tamen quoad durationem, [f.121] nam mortalis poena aeterna est, at vero venialis peccati poena non est aeterna nisi per accidens. 2^o, in poena damni quae respondet peccato mortali, cui nulla alia poena comparari potest, ut docet Chrysostomus, homil. 47 *Ad populum Antiochenum*⁸⁰ et homil. 24 *In Matthaeum*⁸¹, et ideo poena damni excedit in infinitum quamlibet poenam peccati venialis, quia privat infinito bono, scilicet Deo. 3^o, in verme conscientiae qui duriori alio genere excruciat pro mortali quam pro qualibet collectione venialium cum sit ipsa culpa gravior.

Circa hunc discursum D. Thomae occurrunt TRES DIFFICULTATES: 1^a est, quia poena peccati mortalis non ideo aeterna est quia peccatum mortale immediate et directe mereatur aeternitatem poenae, sed quia peccatum mortale aufert principium vitae, ac proinde nihil umquam recompensatur poenae debitae, quia omnis poena quae toleratur ab inimico Dei reputatur pro nihilo in ordine ad recompensandam iniuriam; ergo ex aeternitate poenae non colligitur esse incomparabilem malitiam peccati mortalis cum malitia venialis. RESPONDEO negando consequentiam, quia malitia quae ita meretur poenam ut auferat principium satisfaciendi pro debito, est malitia infinite excedens eam malitiam quae relinquit principium satisfaciendi pro poena quae meretur.

2^a difficultas est utrum poena multorum venialium possit adaequare intensionem et gravitatem poenae unius mortalis, ita ut damnatus qui in inferno torquetur pro omnibus venialibus quae commisit in quingentis annis vitae, habeat pro illis omnibus simul tantam intensionem poenae quantam pro unico et minimo peccato mortali. Sed quia huic difficultati non potest breviter satisfieri,

⁸⁰ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homilia 47 ad populum Antiochenum*: Paris 1588, t.5, col.280s.

⁸¹ ID., *Commentarium in sanctum Matthaeum evangelistam*, hom.23 (alias 25), n.8: PG 57, 317s.

relinquo eam in proprium locum, scilicet q.87, art.4. Vide Zumel, dub.3, ad 1^{am} confirmationem, et in hoc articulo, versus finem⁸².

3^a difficultas est, quia videtur poenam damni non esse maiorem poena peccati venialis, quia ut Augustinus asserit in *Enchiridio*⁸³, mitissima est eorum poena qui pro solo originali puniuntur, et tamen hi puniuntur poena damni. D. Thomas, *De malo*, q.5, a.1 ad 3⁸⁴, quem sequitur Conradus hic⁸⁵, respondet poenam damni esse gravissimam quod attinet ad bonum quo privat, sed esse mitissimam comparatione hominis cui nullo modo debita est visio Dei, cui tamen debitum est illud bonum naturale quod poena sensus adimitur, veluti [f.121v] si homo infimae sortis puniretur inhabilitate ad regnum, minor poena esset comparatione illius quam virgis caedi.

Sed DICES: quomodo ergo probatur excessus malitiae culpae mortalis ex poena damni? RESPONDEO, sic probatur: quia peccatum mortale est eiusmodi ut hominem per gratiam habitualementem habentem ius ad gloriam dignum reddat poena damni, et tali homini carentia visionis divinae est poena sine comparatione maior qualibet poena peccati venialis.

Redeo ad probandam communem sententiam doctorum quae

PROBATUR 3^o quia nullus numerus venialium assignari posset qui sufficiens sit ad mortale peccatum, unde ignotus esset nobis numerus ille si esset possibilis, ac proinde postquam aliqua venialia commisimus exponeremus nos periculo peccandi mortaliter vel si unicum veniale adderemus, unde eo ipso peccaremus mortaliter.

⁸² F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.88, a.4, dub.3 ad 1^{am} confirm. y en este artículo al final: Salamanca 1594, t.1, p.659 y 707b.

⁸³ AUGUSTINUS, *Enchiridion ad Laurentium de fide, spe et charitate* : CCL 46, 99; PL 40, 275.

⁸⁴ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.5, a.1 ad 3: ed.leon. 23, 131.

⁸⁵ CONRADUS KOELLIN, O.P., *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.5: Venecia 1589, p.705a.

Huic sententiae nullus quem sciam directe contradicit; illi tamen videntur contradicere qui sentiunt venialibus paulatim minui charitatem, quod probabilius dicit esse Altissiodorensis, lib.3, tract. 3, cap.5⁸⁶, et videtur sentire Dionysius Cisterciensis, 1, d.17, q.5⁸⁷, et ait esse probabile Vitoria, p.2 *Relectionis de augmento charitatis*⁸⁸. Caeterum, re vera non contradicunt hi doctores, quia nihilominus totis viribus conantur defendere nulla venialium multitudine extinguere prorsus charitatem, quia vel minuitur per partes proportionales vel pervenitur ad terminum minimum charitatis in quo nihil charitatis minuitur per veniale aut aliis vitiis. Illi tamen doctores re ipsa contradicunt nostrae conclusioni, quamvis non verbis, qui affirmant venialibus minui paulatim charitatem quousque auferatur; dicunt tamen ultimum peccatum quo aufertur charitas, eo ipso esse mortale, unde asserunt multitudine venialium ad eum statum ventum esse aliquando ut quidquid culpae fiat sit mortale. Ita docet aperte Dionysius Cartusianus, 1, d.17, q.9, versus finem, § *Insuper dico*⁸⁹, et ait expresse traditum esse a sanctis, in verbis quae ipse retulerat et a nobis adducta sunt in principio huius dubii et in a.3, et nihil amplius probant quam quod ibi dictum est. Haec sententia videtur olim fuisse aliorum doctorum, nam eam refert Paludanus, 4, d.16, q.1 fine⁹⁰, et non reiicit sed potius videtur illam praecipere [f.122] ut probabilem, quia inde infert periculosum esse multa venialia committere, et

⁸⁶ GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa Aurea*, 1.3, tr.16, c.4, III, Solutio: "Concedimus quod veniale repugnat aliquo modo caritati; nec ex sequitur quod simpliciter minuat caritatem; sed sequitur quod minuit eam in aliquo, scilicet quantum ad fervorem motus vel operationem exteriorem, sed non in essentia sua": Paris-Grottaferrata, 1986, p.319 285-287.

⁸⁷ DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In Sententiarum librum primum commentarii*, d.17, q.9: Venecia 1584, pp.324-330, praesertim 329s.

⁸⁸ F. VITORIA, OP, *Relectio de augmento caritatis et diminutionis*, p.2, n.21: BAC 198, Madrid 1960, p.989.

⁸⁹ DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In Sententiarum librum I commentarii locupletissimi*, d.17, q.9, § *Insuper... dico*: Venecia 1584, p.329a-b.

⁹⁰ Véase la nota 75.

hanc sententiam refert etiam Vitoria, supra, et Báñez, 2^a 2^{ae}, q.24, a.10⁹¹, eam tribuit cuidam doctore parisiensi.

Verumtamen communis sententia doctorum ait *peccatis venialibus non minui gratiam et charitatem*, quod valde affirmat nostram conclusionem. Ita D. Thomas, 2^a 2^{ae}, q.24, a.10⁹², et communis, 1, d.17, ubi D. Bonaventura⁹³ et Durandus⁹⁴, Gabriel, 4, d.16, q.5, a.1⁹⁵, Capreolus, eadem d., a.5⁹⁶, Conradus, 1^a 2^{ae}, q.89, a.1⁹⁷, et apud Cartusianum citatum, Albertus, Paludanus, Aegidius, Gulielmus et alii.

PROBATUR 1^a quia peccatum veniale non est contrarium charitati, ut supra, a.1, dub.10, fine, nam vel per illud non amatur creatura supra Deum, vel si amatur, talis amor non est imputabilis sed secundum quid, unde non debet ratione illius amitti pars gratiae et charitatis, in qua simpliciter est ratio gratiae et charitatis amantis Deum prae omnibus.

2^a quia merito quicumque deberet formidare committere veniale; nescit enim utrum iam extenuata sit eius charitas propter venialia praecedentia, ut quocumque veniale sequente auferatur, ac proinde, licet re vera non fuisset extenuata eius charitas, peccaret mortaliter ratione huius periculi cui se exponit. CONFIRMATUR 1^a quia licet ultimo mendacio iocoso auferatur gratia, non ideo erit magis deformis actus in eo homine qui numquam potuit scire pluribus venialibus amitti gratiam sed invincibiliter existimabat

⁹¹ D. BÁÑEZ, OP, *De Fide, Spe et Charitate*, 2.2., q.24, a.10: Salamanca 1586, col.988 C.

⁹² THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.24, a.10: ed. leon. 8, 192b.

⁹³ BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 1, d.17, p.2, a.un., q.3: ed. Quaracchi 1882 (t.1) p.314s.

⁹⁴ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 1, d.17, q.10: Amberes 1566, fol.61v-62.

⁹⁵ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, 1.4, d.16, q.5, [a.1, Notabile 1]: Editio Tubinga, t.IV/2, 1977, p.458.

⁹⁶ JOANNES CAPREOLUS, OP, *Defensiones theologiae D. Thomae Aq.*, 1.4, d.16, a.3, § 1, I ad sextum: Turín 1906 (t.6), p.347b.

⁹⁷ CONRADUS KOELLIN, O.P., *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.1: Venecia 1589, p.711a.

tale mendacium esse veniale; quare concedit iam haec sententia ratione venialium amitti gratiam. CONFIRMATUR 2^o quia viae omnes quibus defenditur non amitti totam gratiam licet minuatur tota gratia, non bene consonat; de quo satis in praesenti, nam proprius locus est 2^a 2^{ae}, q.24, a.10.

Sed OBIICIENS: absurdum est dicere illum qui paulatim furatur, praesertim ab eodem homine, magnam summam non peccare mortaliter; ergo ex levibus furtis et venialibus datur aliqua collectio quae aequivaleat mortali. RESPONDEO negando consequentiam, et claritatis gratia constituamus tres argenteos esse minimam quantitatem sufficientem ad mortale furtum. Quo supposito dicendum est 1^o, si ille qui furabatur minorem quantitatem, habebat voluntatem saepius repetendi simile furtum, non limitando ne perveniret ad tres argenteos, ille semper mortaliter peccabat, ut diceretur dubio sequenti. 2^o, si autem limitabat suum furtum infra tres argenteos et postea furatur levem [f.122v] partem qua impletur summa trium argenteorum, iam tunc mortaliter peccat, et ratio est quia vere in praesenti furatur tres argenteos simul, nam retentio priorum nummorum est continuum furtum, et coniuncto cum novo furto efficit integrum furtum notabile. Hoc tamen intellige si ille homo poterat restituere quae prius abstulerat et si poterat recordari se abstulisse et teneri restituere; alias forte erit tantum peccatum veniale.

Sunt hic alia difficilia quae pertinent ad materiam de restitutione, de quibus vide Sotum, 5^o *De iustitia*, q.3, a.3⁹⁸; Covarrubias, 1^o *Variarum*, cap.3, n^o 12⁹⁹; Maiorem, 4, d.15, q.25¹⁰⁰; Medina, codice *De restitutione*, q.10¹⁰¹; Navarrus,

⁹⁸ D. SOTO, OP, *De iustitia et iure*, 1.5, q.3, a.3: Salamanca, 1569, pp.389-396.

⁹⁹ D. COVARRUBIAS, *Variarum ex Pontificio, regio et caesario iure resolutionum libri IV*, l.1, c.3, n.12: ed. Opera omnia, t.1 (Salamanca 1577), p.354bs.

¹⁰⁰ I. MAIOR, *In Quartum Sententiarum*, d.15, q.26: Paris 1521, f.94v-95v.

¹⁰¹ J. DE MEDINA, *De restitutione et contractibus tractatus*, q.10: Salamanca 1550, fol.38v-41v.

cap.17, n^o 3 et 40¹⁰²; Navarram, *De restitutione*, lib.3, cap.1, dub.6 et 7¹⁰³. Notandum praeterea hunc modum quo aliquod peccatum est mortale quia additur supra materiam praecedentium, non reperiri nisi in materia iustitiae, in qua est obligatio restitutionis, quia in illa tantum procedit ratio dicta, unde non procedit in transgressionibus voti aut omissionibus levium partium canonici officii vel in ieiunio et similibus praeceptis quorum leves transgressiones non coalescunt in unam magnam transgressionem, de quo dixi ubi de voto, a.3, dub.4¹⁰⁴.

Dubitatur 3^o:

**Utrum sit peccatum mortale velle committere
omnia peccata venialia
ita ut vi talis decreti nullum peccatum
veniale omittas quia sit peccatum,
sed tantum quia tibi molestum est
vel aliis rationibus humanis**

Docti quidam iuniores existimabant numquam esse mortale peccatum tale propositum, praesertim in eo qui simul tunc firmum haberet propositum nullum prorsus mortale admittendi. Huius sententiae nullum auctorem proferunt nec a me potuit inveniri postquam plurimos diligenter de hac re evolvi. Colligunt tamen illam ex quibusdam doctoribus de quibus infra in argumento.

PROBARI potest 1^o quia propositum faciendi peccatum veniale non potest esse [f.123] mortale, sed omnia venialia possibilis non sunt peccatum mortale nec illi aequivalent, ut constat ex dub. 2;

¹⁰² M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.17, n.3 y 40: Venecia, 1584, p.318 y 343s.

¹⁰³ PEDRO DE NAVARRA, *Operis de Restitutione tomus secundus*, l.3, De laedente in rebus fortunae, c.1, dub.6 y 7: Lyon 1593, p.16 y 17.

¹⁰⁴ Este comentario a la 2.2., q.88, a.1, no nos ha llegado. Cf ESTANISLAO OLIVARES, *Diego Ruiz de Montoya... Sus escritos...*: ArchTeolGran 49 (1986) 108.

ergo propositum committendi omnia venialia non est peccatum mortale.

CONFIRMATUR 1^o, quia actus interior non habet maiorem malitiam quam totum eius obiectum habet; sed tota malitia quae est obiectum illius decreti est malitia peccatorum venialium tantum; ergo volitio illorum non est peccatum mortale.

2^o ARGUITUR, quia decretum firmum et efficax non committendi ullum mortale non potest esse simul cum peccato mortali actuali, alias essent simul duae volitiones contrariae; sed decretum numquam peccandi mortaliter potest esse simul cum decreto peccandi venialiter quoties libuerit; ergo hoc decretum non est peccatum mortale.

3^o, quia religiosi multo magis quam seculares tenentur vitare peccata venialia et tendere ad perfectionem, et tamen illi non peccant mortaliter quamvis perfectionem non quaerant, nisi illis mediis ad quae obligantur sub mortali ex lege christianorum et statutis religionis et voti, ut docet D. Thomas, 2^a 2^{ae}, q.186, a.2¹⁰⁵, et Caietanus in a.9 eiusdem quaestionis¹⁰⁶, quem refert et sequitur Angelica, *religiosus*, n^o 27¹⁰⁷; Sylvestrina, *religio* 1^o, n^o 8 versus finem¹⁰⁸; Palacius, 4, d.38, q.1¹⁰⁹; Corduba in Expositione regulae Beati Francisci, cap.1, q.3¹¹⁰, de quo dixi ubi de voto obedientiae, dub.3. CONFIRMATUR 1^o, quia christianis non est speciale praeceptum aspirandi ad perfectionem nisi servando charitatem. CONFIRMATUR 2^o, quia nulla est species peccati ad quam reducatur peccatum mortale volendi committere

¹⁰⁵ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.186, a.2: ed.leon. 10, 488.

¹⁰⁶ THOMAS A VIO, OP, *Commentarii in Summam Sancti Thomae*, 2.2., q.186, a.9: ed.leon. Operum Sti. Thomae, 10, 501.

¹⁰⁷ ANGELUS CHIVASSO, *Summa Angelica*, v. *religiosus*, n^o 27: Venecia 1525, f.683.

¹⁰⁸ SYLVESTER PRIERAS, OP, *Summa Summarum*, v. *religio* 1, n.8: Lyon 1582, 2, p.335a.

¹⁰⁹ M. DE PALACIO, *Disputationes theologicae in quartum librum Sententiarum*, dist.38, q.1: Salamanca 1579, p.812.

¹¹⁰ ANTONIO DE CORDOBA, *Expositio regulae fratrum minorum*, cap.1, q.3: Lovaina 1550, fol.32bv.

omnia venialia, nec est virtus ad quam reeducatur huius peccati prohibitio.

In hac re certum est mortale peccatum esse propositum faciendi tot peccata venialia unius generis ut in illis contineatur obiectum sufficiens peccati mortalis, ut si quis proponeret apud se decies furari singulis vicibus argenteum, illud propositum esset mortale furtum, quamvis sine tali proposito furari singulis vicibus argenteum forte esset veniale, si numquam haberet unde restitueret, ut in dubio praecedenti. Difficultas autem est quando non conficitur unum obiectum sufficiens peccati mortalis, quod maxime contingit in iis peccatis quae ex genere venialia sunt. [f.123v]

DICO 1^o: *Peccatum mortale est velle committere omnia peccata venialia quae libuerit, ita ut ex vi talis decreti nullum veniale vitandum sit quia peccatum sit, sed alia ratione humana.* Haec conclusio non obscure colligitur ex D. Thoma, 3 p., q.87, a.1 ad 1¹¹¹, dum ait unumquemque christianum debere habere propositum se preparandi ad peccata venialia minuenda; hoc autem propositum directe pugnat cum praecedenti. Sic Alexander, 4 p, q.65, mem.3 §¹¹², et a.4, §²¹¹³, ait teneri nos aliquando poenitere de venialibus commissis ne transeant in libidinem et complacentiam, de qua infra, dubio 5, et D. Bonaventura, 4, d.16, a.3, q.2¹¹⁴, ait esse quaedam venialia quae multiplicata augment libidinem, et propterea periculum afferunt peccandi mortaliter; et de huiusmodi venialibus teneri hominem poenitere, ne multiplicata afferant hoc periculum, et quoad hoc sententiam D. Bonaventurae recipit Dionysius, 4, d.16, q.1, § *Quaeritur* et in § *In quibus*¹¹⁵

¹¹¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3 p., q.87, a.1 ad 1: ed.leon. 12, 316a.

¹¹² ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 4 p., q.65, mem.3, a.3 ad 1: ed. 1516, f.259.

¹¹³ ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 4 p., q.65, mem.3, a.4 ad 2: ed. 1516, f.263a.

¹¹⁴ BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 4, d.16, a.3, q.2: Quaracchi 1889 (t.4), p.411b.

¹¹⁵ DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In Sententiarum librum IV commentarii*

(quamvis aliud dictum D. Bonaventurae ibi reiiciat, de quo infra, dubio 4, initio); idem fere D. Antoninus, 2 p, tit.9, cap.4, §3 fine¹¹⁶, et magis favet cap.3, § 3¹¹⁷. Sic etiam necessarium esset poenitere de venialibus quamvis certum sit nullum mortale commissum esse quando periculum imminet ne affectio peccati venialis trahat ad mortale, docet Richardus, 4, d.16, a.5, q.1c¹¹⁸; Angelus, *poenitentia*, n^o 7; Sylvester, *poenitentia*, n^o 4¹¹⁹.

Ex horum doctorum sententia constat necessitate salutis necessariam esse poenitentiam aliquorum venialium; sed in poenitentia essentialiter includitur propositum vitandi peccatum; ergo necessarium est propositum vitandi aliqua saltem venialia; sed qui decernit committere omnia venialia ut libuerit habet actum directe contrarium huic voluntati; ergo peccat mortaliter. Lege doctores citatos ut videas illos aperte loqui de necessitate salutis et de necessitate simpliciter sub mortali, et praecipue respexisse ad propositum vitandi venialia quando poenitentiae hanc necessitatem induxerunt. Praeterea Sotus, 4, d.15, q.2, a.1, col. penult., § *Hic animadvertendum*¹²⁰, ait forte esse mortale ratione periculi omnia venialia contemnere. Et non loquitur de contemptu formali et directo, de hoc enim non est dubium quin vel unum veniale contemnere sit peccatum mortale, ut dicitur dubio 4, sed contemptum appellat deponere omnem curam vitandi venialia, ut contextus indicat, et propter eandem rationem videntur idem [f.124] sentire Glossa de poenitentia, d.1, cap. *Tres sunt*, verbo *oppriment*¹²¹ et supplementum verbo *ornatus*, apud Sylvester *peccatum*, n^o 4¹²²;

locupletissimi, d.16, q.1, § Quaeritur y § In quibus: Venecia 1584, p.218b.

¹¹⁶ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.9, c.4, § 3 fine: Lyon 1530, f.157va.

¹¹⁷ ID., *ibid.*, 2 p., tit.9, c.3, § 3: ed. cit., f.156va.

¹¹⁸ RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quarto Sententiarum*, d.16, a.5, q.1: Venecia 1499, f.105v E.

¹¹⁹ SYLVESTER PRIERAS, OP, *Summa Summarum*, v. *poenitentia*, n.4: Lyon 1582, 2, p.298a.

¹²⁰ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tomus primus, d.15, q.2, a.1, § *Hic animadvertendum*: Salamanca 1557, p.727.

¹²¹ C.I.C., c.81, C.33, D.1, *de poen.*: Roma 1582, 1, col.2238.

¹²² SYLVESTER PRIERAS, OP, *Summa Summarum*, v. *peccatum*, n.4: Lyon 1582, 2, p.282a.

dicunt enim contemptum plurium venialium esse mortalem culpam.

In religiosis vero peculiariter esse peccatum mortale frangere praeceptum praelati aut statuti regulae ex consuetudine, quamvis alias non obligent sub mortali, docet D. Antoninus, 3 p., tit.16, cap.1, § 9¹²³, ex Ioanne Dominico; Angelus, *obedientia*, col. 2¹²⁴ ex Richardo, quodlibeto 1, q.29; Soto nuper citatus, et valde favet Sylvester, *peccatum*, n^o 4¹²⁵. Quod, explicatum de veniali transgressione regularum, quae proxime disponit ad transgressionem votorum et valde perturbat religionem, confirmavi rationibus in 4^o dubio de voto obedientiae, et docet Sylvester, *religio*, 1^o, q.12, fine¹²⁶. Haec sententia doctorum favet nostrae conclusioni non parum si illi adiungas verissimam doctrinam D. Thomae, 2^a 2^{ae}, q.184, a.5 ad 2 et q.186, a.2 ad 2, et Caietani utrobique¹²⁷, scilicet quemlibet christianum teneri tendere ad perfectionem secundum suum statum.

PROBATUR conclusio 1^o ratione horum omnium doctorum, quia qui se exponit periculo proximo peccandi mortaliter peccat mortaliter; sed quicumque vult committere omnia peccata venialia ut libuerit, nullum respuendo quia peccatum sit nisi sit mortale, talis vult se exponere periculo proximo et certo peccandi mortaliter; ergo peccat mortaliter. Antequam minorem probem adverte me nihil curare utrum in ipso proposito formaliter et praecise sublata illius executione, detur periculum peccandi mortaliter tunc quando elicitur propositum, non enim pendet inde vis argumenti, sed ex eo quod obiectum illius propositi, scilicet committere tota

¹²³ ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.14, c.17, § 2: Lyon 1530, f.127va.

¹²⁴ ANGELUS CHIVASSO, *Summa Angelica*, v. *Inobedientia*: Venecia 1525, f.413.

¹²⁵ SYLVESTER PRIERAS, OP, *Summa summarum*, v. *peccatum*, n.4: Lyon 1582, 2, p.282a.

¹²⁶ SYLVESTER PRIERAS, OP, *Summa Summarum*, v. *religio* 1, n.12: Lyon 1582, 2, p.336a.

¹²⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2^a 2^{ae}, q.184, a.5 ad 2: ed. leon. 10, 457b; *ib.*, q.186, a.2 ad 2: 10, 488bs.

THOMAS A VIO, *Commentarii...*, *ib.*: *ib.*

vita aut longo tempore omnia venialia sine delectu, hoc inquam, continet¹²⁸ certum periculum peccandi mortaliter.

Et hoc PROBO 1^o auctoritate D. Augustini, Chrysostomi, Isidori, Bernardi, Basilii, Eusebii Emiseni et Caesarii locis adductis supra, a.3, qui testantur plura venialia periculum inducere peccandi mortaliter; imo Augustinus saepe ait aequipollere peccato mortali, quae sententia non potest magis temperari quam si intelligatur de periculo proximo peccandi mortaliter, ut in praecedenti dubio dictum est.

2^o PROBATUR experientia; videmus enim ex iis hominibus qui plura venialia evitant, paucos esse qui diu perseverent sine mortali; quid igitur erit de illo qui sine freno ruit in omnia venialia.

CONFIRMATUR 3^o. D. Thomas citatus: quia propter gravissimum pondus inclinationum de[f.124v]primentium ad creaturas, nisi conemur ad perfectionem saltem aliquo modo tendere vitando aliqua saltem impedimenta illius, sequitur gravissimum periculum deficiendi, unde est illud celebre axioma inter spirituales viros, eum regredi necessario qui non conatur progredi, ut docet D. Augustinus, epist. 143 *Ad Demetriadem*¹²⁹, et Bernardus, epist. 254 et 341¹³⁰a, et solet id confirmari exemplo eorum qui contra vim profluentis aquae remigant, quam nisi conentur vincere incident in loca aspera in quae vis fluminis impulerit.

CONFIRMATUR 4^o et efficaciter, quia sunt aliqua genera peccatorum in quibus est moraliter impossibile committere omnia venialia et tamen se continere a mortali brevi tempore, ut si quis cum feminis impudicis committat omnia ea peccata venialia circa luxuriam quae potest committere visu, tactu et cogitationibus minus deliberatis; similiter etiam in detractionibus erit moraliter impossibile omnia sibi possibilia venialia committere leviter

¹²⁸ Repetido *hoc inquam continet*.

¹²⁹ PSEUDOAGUSTINUS, *Epist. 142 ad Demetriadem*, c.15s: PL 33, 1109s.

¹³⁰ BERNARDUS, *Epist. 254*, n.4: ed. Cistercienses, t.8 (Roma 1977) p.158, 20-21; PL 182, 460s. Y *Epist. 385*: t.9, p.351; PL 182, 587s.

detrahendo, quin graviter aliquando detrahat; similiter in odio aut invidia; ergo multo maius periculum erit in commissione omnium venialium cuiuscumque generis.

DICUNT adversarii hoc periculum sequi per accidens, sicut sequitur periculum peccandi mortaliter ex aspectu mulieris pulchrae.

Ceterum aut hi doctores nullum debent admittere periculum quod sit per se periculum peccandi mortaliter, quamvis alias praecisa ratione periculi non habeat malitiam mortalem, aut debent dicere maximum periculum et magis per se esse illud quod sequitur ex multitudine venialium in eadem materia, quia nihil est magis simile peccato mortali nec magis excitans concupiscentiam illius quam peccatum veniale in eadem materia, ut constat in exemplis superioribus; qua de causa D. Thomas in praecedenti a.3¹³¹ docuit venialia per se disponere ad mortale.

Hinc etiam reiicitur quod asserunt, eum tantum hominem qui senserit in se tale periculum peccare mortaliter si tale propositum habeat. Hoc inquam reiiciendum est, quia constat ex dictis nullum esse hominem cui non sit gravissimum periculum peccandi mortaliter, imo infallibile illum peccaturum mortaliter, si diu committat omnia venialia sine delectu; unde hoc velle erit peccatum mortale, quamvis in voluntate praecise sine executione non sit periculum, ut supra dictum est.

[f.125] Contra illud fundamentum doctorum de poenitentia venialium, sentit Argentinas, 4, d.16, q.unica, a.4, late¹³², et videntur alii scholastici idem sentire ibidem, nam tractantes de quibus peccatis necessarium sit poenitere, non meminere venialium, ut Paludanus¹³³, Durandus¹³⁴ et Gabriel, in ea d.¹³⁵ et

¹³¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.88, a.3: ed. leon. 7, 135.

¹³² THOMAS ARGENTINAS, *Commentaria in IIII libros Sententiarum*, 4, d.16, q.un., a.4: Ginebra 1585, pars 2, fol.123b-c.

¹³³ PETRUS A PALUDE, *Lucubrationum Opus in Quartum Sententiarum*, d.16, q.1, a.3, n.39: Salamanca 1552, p.194b.

¹³⁴ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 4, d.16, q.1: Amberes 1566, fol. 335v, n.4.

D. Antoninus, 3 p., tit.14, cap.17, §2¹³⁶, quamvis non propterea existimet hos doctores oppositum sensisse, sed tacuisse, quia de venialibus non est necessaria poenitentia de omnibus nec de aliquibus determinate, sed de aliquibus vage, quod tamen forte adhuc non venerat in eorum mentem.

RESPONSIO autem Argentinae est quia poenitere de aliquo peccato non tenemur maiori obligatione quam vitare illud; sed venialia non tenemur sub mortali vitare; ergo nec poenitere. RESPONDEO distinguendo minorem; tenemur enim sub mortali vitare aliqua venialia vage ita ut non quodcumque veniale occurrens committatur, idque ratione periculi, ut dictum est.

2^o OBIICIENS: si datur aliqua multitudo venialium quae inducat hoc proximum periculum peccandi mortaliter, in quolibet peccato veniali deberemus merito formidare an ea multitudo expleatur, ac proinde in quolibet veniali peccaremus mortaliter. RESPONDEO negando consequentiam, constat enim ex iis peccatis quae sunt venialia ex genere, non sequi hoc proximum periculum peccandi mortaliter, ut ex otiosis verbis et mendaciis, et praeterea in aliis peccatis quae in materia conveniunt cum mortalibus, ut furtis levibus, detractionibus et aspectibus, saepe ex vi quam Deo favente habemus ad resistendum temptationibus et ex remissa vi nostri affectus ad illas res et ex verecundia et praesentia aliorum et aliis circumstantiis, facile colligere possumus non esse nobis proximum periculum peccandi mortaliter.

Ex hac solutione constat non colligi ex nostra conclusione quod Paludanus et Dionysius dixere in dubio praecedenti, scilicet aliquando hominem esse in tali statu ut quaecumque culpa illius sit mortalis, quia supervenit aliis multis; etenim in nostra sententia licet mille mendacia iocosa dicat, non peccabit mortaliter cum ex illis [non] sequatur dictum periculum. Dabitur tamen aliquod peccatum determinatum, quod esset veniale si non supponeret

¹³⁵ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, 1.4, d.16, q.1, [a.2, Conclusio 2]: Editio Tubinga, t.IV/2, 1977, p.462.

¹³⁶ ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.14, c.17, § 2: Lyon 1530, f.127va.

affectum nimis ardentem ex praecedentibus venialibus; et, quia supponit, et proximum periculum affert, est mortale.

[f.125v] Ad argumenta initio proposita RESPONDEO: ad 1^{um} cum confirmatione, RESPONDEO omnia venialia simul sumpta collecta in unum non habere in se et formaliter malitiam nisi peccati venialis; sed nihilominus, quia sunt occasio proxima peccati mortalis, sunt obiectum sufficiens ut volitio illorum sit peccatum mortale. Quare distinguendum est et dicendum omnia peccata venialia collective sumpta, ratione periculi esse peccatum mortale obiectivum, quamvis non sint actuale seu formale peccatum mortale.

Ad 2^{um} RESPONDEO ex errore contingere saepe aliquem velle contradictoria, quia nescit eorum repugnantiam, sicque qui nescit esse peccatum mortale propositum committendi omnia peccata venialia, talis poterit simul habere propositum efficax vitandi omnia mortalia; at vero si rem bene calleat, non poterit.

Ad 3^{um} CONCEDO religiosos non teneri sub mortali tendere ad perfectionem nisi illis mediis ad quae lege christianorum aut votis aut statutis religionis obligantur sub mortali; nihilominus, ad non committenda omnia venialia sed temperandum ab aliquibus, obligantur sub mortali omnes christiani praecepto divino; et peculiariter religiosi ad non committenda sine freno aliqua genera venialium obligantur sub mortali ex natura trium votorum, ut ostendi in dubio 4 de obedientia¹³⁷.

Ad 1^{am} et 2^{am} confirmationem RESPONDEO, praecepto servandi charitatem praecipitur virtualiter non committere omnia venialia occurrentia, quia inde nascitur proximum periculum amittendi charitatem, unde praedictum committendi omnia venialia reducitur ad eam speciem peccati in qua esset decretum peccandi mortaliter, non determinando aliquam speciem peccati, quae species peccati hucusque non habet peculiare nomen.

¹³⁷ No conservamos este tratado de *Voto*.

Dubitatur 4^o:
Quis sit ille contemptus qui peccatum
veniale ex genere reddit mortale

Suppono ex communi doctorum sententia, initio dubii 1ⁱ, veniale posse fieri mortale per contemptum. Sunt tamen tot fere modi explicandi quot sunt auctores de illo tractantes.

1^o D. Bernardus videtur sentire contemptum mortalem esse in qualibet plene deliberata culpa, etiam verbi otiosi, ut colligitur ex tractatu *De Praecepto et [f.126] dispensatione*, col.5, late, et col.9¹³⁸, praesertim ex illis verbis «Si iubente mihi seniore ut sileam, verbum forte per oblivionem elabatur, reum me fateor inobedientiae, sed venialiter; si ex contemptu sciens et deliberans sponte in verba prorumpo, praevaricatore me constituo criminaliter». Idem sentire videtur D. Bonaventura, 4, d.16, a.3, q.2¹³⁹. Ceterum pie explicandi sunt de graviore aliqua inobedientia intra latitudinem venialis culpae quam, per exaggerationem, appellant crimen.

Et licet hi patres aperte dicerent esse peccatum mortale verbum otiosum vel deliberate dictum contra praeceptum praelati sine ulla alia circumstantia nocumenti, non esse ita sentiendum, tum quia est contra commune doctorum infra, tum etiam contra rationem dictantem esse res aliquas ex suo genere levissimas, ut verbum otiosum; et praeterea plena deliberatio aut scientia non auget malitiam supra hoc genus mali, sed solum intra latitudinem illius generis complet et auget malitiam. CONFIRMATUR quia si totum praeceptum prohibens verba otiosa non obligat simpliciter et sub mortali nec est simpliciter necessarium ad charitatem; ergo licet quis deliberate et scienter velit illud violare, non propterea implicate vult aliquid contra charitatem.

¹³⁸ BERNARDUS, *De precepto et dispensatione*, c.VIII, n.18: ed. Cisterciense t.3 (Roma 1963), p.265; PL 182, 871. Y c.XII, n.30: ibid. p.274s; PL 182, 878.

¹³⁹ BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 4, d.16, a.3, q.2: Quaracchi 1889 (t.4), p.411b.

2º D. Antoninus, 3 p., tit.16, cap.1, § 4¹⁴⁰, et Joannes Dominicus ait eum religiosum mortaliter contemnere regulas qui non est paratus emendare defectus nec subire poenas sibi impositas. Ceterum, si non sint tot illius culpaе ut periculum afferant transgressionis votorum aut praeceptorum, nulla est sufficiens ratio damnandi ut peccatum mortale nolle illas emendare nec subire poenas quae non praecipuntur sub mortali.

3º Alexander, Bonaventura¹⁴¹, et alii doctores citati in dubio praecedenti dicunt esse mortalem contemptum quando quis vult manere sub venialibus sine animo poenitendi, sed hoc similiter intelligendum est quando quis vult manere in eo numero et qualitate venialium, unde periculum proximum imminet peccandi mortaliter, ut explicatum est in dubio praecedenti.

4º alii dicunt esse mortalem contemptum committere venialia ex consuetudine. Ita sentit Angelus, verbo *Inobedientia*¹⁴², ex Richardo, quodl. 1, q.19, (qui citat etiam Archidiaconum et Geminianum, sed hi tantum dicunt quod afferetur nº 5); idem D. Antoninus, 2 p., tit.9, cap.3, § 3¹⁴³, dicens esse mortalem contemptum recitare divinum [f.126] officium ex consuetudine indevote, quamvis tantum sit veniale peccatum semel aut iterum dicere indevote. Idem videtur sentire Glossa, cap.3, ss de poenitentia, d.1, verbo Opprimet¹⁴⁴, et suplementum, verbo *Ornatus*, apud Sylvester, *Peccatum*, nº 4¹⁴⁵; Soto, 4, d.15, q.2, a.1, col.1, § *Hic advertendum*¹⁴⁶.

¹⁴⁰ ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.16, c.1, § 4: Lyon 1542, f.140ra.

¹⁴¹ Véanse las notas 112, 114.

¹⁴² ANGELUS CHIVASSO, *Summa Angelica*, v. *inobedientia*: Venecia 1525, f.413.

¹⁴³ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.9, c.3, § 3: Lyon 1530, f.156ra.

¹⁴⁴ C.I.C., c.81, C.33, D.1, *de poen.* : Roma 1582, 1, col.2238.

¹⁴⁵ SYLVESTER PRIERAS, OP, *Summa summarum*, v. *peccatum*, n.4: Lyon 1582, 2, p.282a.

¹⁴⁶ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus primus*, d.15, q.2, a.1, § *Hic animadvertendum*: Salamanca, 1557, p.727.

Ceterum nisi haec sententia explicetur solummodo quoad praesumptionem in foro exteriori, falsa est nam licet aliquis committat peccata venialia saepius, idque propter iram aut aliam passionem aut propter negligentiam, non erit peccatum mortale contemptus, ut docet D. Thomas, 2^a 2^{ae}, q.186, a.9 ad 3¹⁴⁷, Caetan-
 tanus ibi et a.2, § *Ad evidentiam*¹⁴⁸; idem fere Sylvester, *religio*,
 1^o, n^o 8¹⁴⁹, ex Archidiacono post Turrecrematam et Angelus,
 verbo *contemptus*¹⁵⁰; Navarrus, cap. 22, n^o 42¹⁵¹. Et ratio est
 quia peccata venialia, quamvis saepius repetantur non continent
 malitiam alterius generis veluti verba otiosa saepius repetita, nisi
 adsit periculum peccati mortalis, nec est ratio sufficiens addendi
 aliam deformitatem.

5^o dicunt alii tunc esse mortale peccatum, cum contemnitur
 auctoritas praecipientis. Ita Archidiaconus, cap. *Utinam* 76 d.¹⁵²
 et Geminianus, cap. generali de electione in 6^o, n^o 10 et 11¹⁵³,
 Angelus, verbo *contemptus*¹⁵⁴. Et Archidiaconus limitat si trans-
 gressio est huiusmodi ut transgrediatur finis praecepti.

Sed quod attinet ad auctoritatem praecipientis dicendum est:
 1^o, si contemnitur Dei ipsius praecipientis auctoritas, aut Ecclesiae,
 constat esse peccatum mortale. 2^o, si contemnatur auctoritas

¹⁴⁷ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2^a 2^{ae}, q.186, a.1 ad 3: ed. leon. 10, 501b.

¹⁴⁸ THOMAS A VIO, OP, *Commentarii in Summam Sancti Thomae*, 2^a 2^{ae}, q.186, a.9 et a.2 § *Ad evidentiam*: ed. leon. operum Sti. Thomae, 10, 501s.

¹⁴⁹ SYLVESTER PRIERAS, OP, *Summa Summarum*, v. *religio* 1, n.8: Lyon 1582, 2, p.335a.

¹⁵⁰ ANGELUS CHIVASSO, *Summa Angelica*, v. *contemptus*: Venecia 1525, f.168.

¹⁵¹ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.23, n.42: Venecia, 1584, p.633.

¹⁵² GUIDO DE BAYSO, *Commentaria elegantissima super decretorum volumine Rosarium nuncupata*: Tridini 1523, f.79v a.

¹⁵³ DOMINICUS A STO. GEMINIANO, *In librum sextum Decretalium*, De electione, cap. «Generali», n.10 y 11: Lyon 1541, f.47vb.

¹⁵⁴ ANGELUS CHIVASSO, *Summa Angelica*, v. *contemptus*: Venecia 1525, f.168v.

cuiusque praelati ea ratione quia est auctoritas accepta a Deo, similiter erit mortale peccatum, quia ibi formaliter contemnitur Deus. 3^o, non est mortale si contemnatur auctoritas praecipientis quia exigua est et quoad res leves, ut si quis contemnat auctoritatem aedilis seu apparitoris quia infima sit. 4^o, non erit mortale si contemnatur auctoritas praecipientis, quia sit in homine indocto vel imprudenti vel infimae sortis vel pusillanimi vel iniquo, dummodo alias non sit gravis iniuria haec existimare de tali viro quia sunt rationes sufficientes et manifestae ut ita existimetur; alias gravius peccatum esset hic contemptus praelati quam alterius cuiusque hominis, cum tamen cuiusque hominis contemptus huiusmodi sine ratione sufficienti sit peccatum mortale, ut bene Caietanus, verbo *contemptus*¹⁵⁵.

6^o, in idem fere redit quod ait Navarrus, cap. 23 n^o 42¹⁵⁶, tunc esse mortale contemptum quando quis ad committendum peccatum movetur principaliter eo quod legem aut eius auctorem parvi pendat. Hic tamen explicandum est quando sit mortale et quomodo parvipendere legem. 1^o enim, si lex sit Dei et illam despicias ut iniustam et inutilem, erit mortale peccatum. 2^o, Similiter erit [f.127] peccatum mortale reputare iniustam aut inutilem legem Ecclesiae aut Summi Pontificis, in iis rebus in quibus habent infallibilem auctoritatem; in aliis autem poterit non esse mortale peccatum, praesertim si fuerint rationes probabiles quae ita persuadeant. 3^o, existimare iniustam aut inutilem legem aliorum praelatorum, quandoque erit mortale quandoque veniale quandoque nulla culpa, secundum gravitatem rei et dignitatem praelati et vim rationum occurrentium pro utraque parte. 4^o, si quis despiciat legem, quia materia illius levis est et quia lex non est necessaria ad salutem, non peccat mortaliter. Ita Soto, 4, d.15, q.2, a.1, col. penult. § *Hic advertendum*¹⁵⁷, Caietanus¹⁵⁸ et Armil-

¹⁵⁵ THOMAS A VIO, OP, *Summula de peccatis*, v. *Contemptus* : Salamanca 1551, f.46r.

¹⁵⁶ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.23, n.42: Venecia, 1584, p.633.

¹⁵⁷ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus primus*, d.15, q.2, a.1, § *Hic animadvertendum*: Salamanca, 1557, p.727.

la¹⁵⁹, verbo *contemptus*, et ratio est quia eiusmodi contemptus reperitur in omnibus peccatis venialibus, praesertim plene deliberatis, et quia talis contemptus non redundat in contemptum Dei simpliciter, imo potius illud motivum contemnendi minuit valde malitiam contemptus. Hinc inferunt Caietanus, Soto et Armilla nuper citati eum tantum contemptum legis esse mortale peccatum qui est contemptus simpliciter et non secundum quid, sed non explicant quid sit iste contemptus simpliciter.

7^o, D. Thomas, 2^a 2^{ae}, q.186, a.9 ad 3¹⁶⁰ et Caietanus ibi¹⁶¹; Sylvester, *religio*, 1^o, q.12¹⁶², et alii dicunt esse peccatum mortale contemptum etiam in re levi, quando transgressio legis provenit tanquam a motivo, quia voluntas renuit subiici legi, et in idem redit quod asserit Caietanus, 2^a 2^{ae}, q.104, a.2¹⁶³, quando quis ideo committit peccatum, quamvis leve, ut transgrediatur praeceptum praelati.

Sed hoc explicatione indiget, nam cum transgredi praeceptum et non subiici legi malum sit, non potest esse motivum et finis peccantis nisi cum aliqua apparenti ratione boni; atqui si propterea velis transgredi praeceptum praelati in re levi ut illi molestias inferas, non est peccatum mortale, ut docet Caietanus et Armilla, verbo *contemptus*¹⁶⁴. 2^o, si nolis subiici legi non obliganti sub mortali ne tot legibus graveris sed libertate aliqua utaris, non est sufficiens ratio damnandi hoc peccati mortalis. 3^o, si autem ideo

¹⁵⁸ THOMAS A VIO, OP, *Summula de peccatis*, v. *contemptus* : Salamanca 1551, f.46v-47.

¹⁵⁹ B. FUMUS, OP, *Summa Aurea Armilla*, v.*contemptus*, 3: Venecia 1578, p.232s.

¹⁶⁰ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2^a 2^{ae}, q.186, a.3 ad 3: ed. leon. 10, 501b.

¹⁶¹ THOMAS A VIO, OP, *Commentarii in Summam Sancti Thomae*, 2^a 2^{ae}, q.186, a.3 ad 3: ed. leon. operum Sti. Thomae, 10, 501.

¹⁶² SYLVESTER PRIERAS, OP, *Summa Summarum*, v. *religio I*, n.12: Lyon 1582, 2, p.315s.

¹⁶³ THOMAS A VIO, OP, *Commentarii in Summam Sancti Thomae*, 2^a 2^{ae}, q.104, a.2: ed. leon. Operum Sti. Thomae, 9, 386.

¹⁶⁴ B. FUMUS, OP, *Summa Aurea Armilla*, v.*contemptus*, 2: Venecia 1578, p.232.

nolis subiici legi, quamvis levissimae, ut saltem quantum ad id geras te ut non subditum Deo vel quod in te est molestiam inferas Deo vel de illo vindictam sumas vel simili alia apparenti ratione boni quae contineat peculiarem audaciam et superbiam directe contra Deum, tunc erit peccatum mortale, et de hoc genere contemptus loquuntur hi doctores.

Dubitatur 5^o:
Quid sit constituere finem ultimum
in peccato veniali ex suo genere
aut fieri mortale per complacentiam

[f.127v]

Constat ex doctoribus citatis initio huius articuli peccatum mortale esse constituere finem ultimum in peccato, quamvis alias esset leve, sed non constat quid hoc sit.

Quidam dicunt hoc esse peccare venialiter solum propter peccare. Hacc sententia tribuitur Almaino, 1^o *Moralium*, cap. 28 sed nec ibi nec aliter reperitur a me. Tribuitur etiam Gersoni, *De vita spirituali*, lect.1¹⁶⁵. Et impossibile est, ut dixi, peccatum ipsum esse finem, nisi sub aliqua apparenti ratione boni; potest autem multas apparentes rationes boni habere sub quibus non sit peccatum mortale illud intendere, velut habere materiam confessionis vel humiliandi se, et potest esse peccatum mortale sub aliis rationibus dictis in fine praecedentis dubii. Verumtamen cum illae rationes intelligantur nomine contemptus, aliud intelligendum est nomine constituendi finem, quod ponitur a doctoribus ut diversum a contemptu.

Alii dicunt constituere ultimum finem esse maximo conatu et intensione ferri in illud obiectum. Ita Adrianus, *Quodlibeto* 7, a.2¹⁶⁶, et in 4, materia de poenitentia, q.2¹⁶⁷; Petrus de Soto,

¹⁶⁵ J. GERSON, *De vita spirituali*, lec.1, coroll.4: ed. Paris, Tournai, Roma, New York, 1962, t.3, p.121.

¹⁶⁶ ADRIANUS VI, *Quaestiones Quodlibeticae*, q.7, 2^o et 3^o: Venecia 1522 (repr. Holanda 1964), f.37v-39 [pro 38].

¹⁶⁷ ID., *Quaestiones de sacramentis in Quartum Sententiarum librum*, de sacrame-

ex professo, lectione 14 et 15, de perfectione contritionis¹⁶⁸, cui consonat Medina, q.5 de poenitentia, a.3¹⁶⁹, et favet D. Hieronymus, 1 *Contra Jovinianum*, relatus cap. origo 32, q.4¹⁷⁰. Verum non est huius loci hanc sententiam ex professo impugnare, et solvere eius argumenta; pertinet enim ad 2^{am} 2^{ae}, q.26, a.3, ubi probandum erit non esse peccatum mortale creaturam intensius diligere quam Deum, ut communiter diliguntur filii et propria vita, dummodo magis appreciative ametur Deus et anteponatur omnibus, ut optime explicat D. Augustinus, 21 *De civitate*, cap. 26, fine¹⁷¹. Pertinet etiam hoc ad materiam de contritione, ubi probandum erit non esse opus intensius dolere de peccatis quam de quolibet alio malo, dummodo dolor de peccatis sit summae appretiationis. Tetigi hoc supra, a.1, dub.5 ad 5¹⁷², ubi ex Alberto, Alensi et D. Bonaventura, dictum est inter peccatum mortale et veniale semper esse proportionem quoad intensionem amoris, numquam tamen esse proportionem quoad appretiationem.

Unde sit 1^a CONCLUSIO: *per se loquendo numquam veniale peccatum fit mortale per solam intensionem actus*. Quamvis per accidens contingere possit fieri mortale si quis advertat ex nimia intensione amoris oriri sibi periculum et grave anteponendi creaturam Deo; sed tunc eo ipso variaretur appretiatio amoris. Insuper, recale ex a.1, dub.1 et 9 et 10¹⁷³ in peccato veniali constitui posse finem actus in obiecto illius, et manebit nihilominus veniale pec[f.128]catum; erit autem mortale peccatum si in obiecto quod alioqui esset tantum veniale ita ponatur finis ut excludatur Deus ne sit ultimus finis illius personae.

Poenitentiae, 2^a: Roma 1522, f.101s.

¹⁶⁸ P. DE SOTO, OP, *Tractatus de institutione sacerdotum...*, De sacramento Poenitentiae, lect.14 et 15: Venecia 1566, f.210v-219.

¹⁶⁹ J. DE MEDINA, *In titulum de poenitentia...*, tr.1, q.5: Salamanca 1549, f.14b C-D.

¹⁷⁰ C.I.C., c.5, C.XXXII, Q.4: ed. Friedberg, 1, 1128s.

¹⁷¹ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, l.21, c.26: CCL 48, 799, 136-148; PL 41, 746.

¹⁷² D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, q.88, a.1 et 2, dub.5 ad 5: ArchTeolGran 53 (1990) 203ss.

¹⁷³ D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, q.88, a.1 et 2, dub.1, 9 et 10: ArchTeolGran 53 (1990) 174-183; 239-244. Ib. 54 (1991) 281-286.

Sit ergo 2^a CONCLUSIO: *tunc peccatum veniale fit mortale, ex eo praecise quod constituatur finis in obiecto illius, licet non transgrediatur quis aliud peculiare praeceptum, quando tanta appetitione amat aliquis illud obiectum, ut virtute praesentis amoris actualis transgrederetur praeceptum obligans sub mortali, quodcumque occurreret.* Ita Paludanus, 4, d.16, q.1, fine¹⁷⁴; Aegidius, 2, d.24, p.2, q.2, a.5¹⁷⁵; D. Thomas, 2^a 2^{ae}, q.132, a.2, circa inanem gloriam¹⁷⁶ et 2, d.24, q.3, a.6c¹⁷⁷, exemplum ponit in eo affectu ad vinum et ad verba otiosa quem habent communiter ebrii et histriones, ex vi actualis affectus parati ad violanda praecepta Dei propter illorum delectationem. Ubi adverte non imputari homini peccatum mortale quod faceret, nisi in quantum illud committit modo, virtualiter, per praesentem appetitionem amoris. Et huiusmodi appetitionem habent semper qui committunt peccata quae ex se forent venialia, sed sine prudenti examine an sint mortalia, ut constat ex dictis de conscientia erronea, supra, q.19, a.6¹⁷⁸. Et huiusmodi appetitio et constitutio finis ultimi intelligenda est quoties Sacra Scriptura damnat peccati mortalis amorem honoris aut divitiarum aut similes, qui ex genere sunt tantum venialia peccata, ut in Psalmo [52 6] *Dominus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent*, et Paulus [Gal 1 10] *si hominibus haberem [placerem] Dei servus non essem*, et Christi Domini [Jn 5 44] *quomodo potestis credere qui gloriam ab invicem quaeritis.*

¹⁷⁴ PETRUS A PALUDE, *Lucubrationum opus in Quartum Sententiarum*, d.16, q.1 fine: Salamanca 1552, p.144b.

¹⁷⁵ AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In secundum librum Sententiarum Quaestiones*, d.24, pars 2, q.2, a.5: Venecia 1581, p.288s.

¹⁷⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.132, a.3: ed.leon. 10, 81.

¹⁷⁷ THOMAS AQ., *Commentum in secundum librum Sententiarum Magistri Petri Lombardi*, d.24, q.3, a.6 c: ed. Vivès 8 (Paris 1873), p.331.

¹⁷⁸ No conservamos este comentario.

Articulus 5^{us}:

Utrum circumstantia possit facere de veniali mortale

CONCLUSIO: *Circumstantia potest facere de veniali mortale, sed non in quantum est circumstantia, sed in quantum est obiectum illius speciei moralis quam constituit.* Ita D. Thomas hic, ubi Conradus¹⁷⁹, Caietanus¹⁸⁰ et alii; Almainus, 3 *Moralium*, cap. 21¹⁸¹.

Ad huius doctrinae explicationem possent plurima disputari:

1^{um}, [utrum] circumstantia quae facit de veniali mortale mutet speciem physicam actus, in quo dicendum est affirmative, ut probatum est a.1, dub.15¹⁸², et a.4, dub.1. Excipitur autem sola circumstantia semiplenae libertatis. Et ulterius, quod circumstantia possit mutare speciem [f.128v] actus, probatum est supra, q.18, a.10, dub.1¹⁸³, et dicitur infra, q.72, a.9.

2^o posset inquiri utrum circumstantia quae peccatum reddit de veniali mortale, debeat esse obiectum actus.

3^o, utrum debeat esse obiectum materiale vel formale directe vel indirecte volitum.

4^o quomodo, cum sit obiectum, retineat nihilominus rationem circumstantiae, sed haec colliguntur ex dictis in q. 18, a.10 et dicendis infra, q.72, a.ultimo.

5^{um} proprium est praesentis articuli: utrum diuturnitas vel frequentia peccati venialis reddat illud mortale. D. Augustinus, in sermone *De igne purgatorii*, relatus 25 d., § Alias ea¹⁸⁴, demum

¹⁷⁹ CONRADUS KOELLIN, O.P., *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.5: Venecia 1589, p.707.

¹⁸⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti. Thomae*, 1.2., q.88, a.5: ed. leon. Operum Sti. Thomae, 7, 138.

¹⁸¹ J. ALMAIN, *Opuscula, Moralia*, tr.3: De virtutibus moralibus et vitiis oppositis, c.21: An veniale possit esse mortale: Paris 1518, f.73r-v.

¹⁸² Véase ArchTeolGran 54 (1991) 307-316.

¹⁸³ No se conserva este comentario.

¹⁸⁴ AUGUSTINUS, *Sermo de verbis Apostoli, 1 Cor 3 11-15*, n.2 [De sanctis, 41]: PL 39, 1946. C.I.C., c.3, D.XXV, § Alias ea: ed. Decretum Gratiani...una cum glossis

dicens si diu teneatur iracundia, et ebrietas, si diuturna sit, transire in numerum peccatorum mortalium. Sed id optime explicat D. Thomas hic et ad 1¹⁸⁵; et quidem diuturnitas iracundiae non reddit illam mortalem formaliter, sed indicium est plenae deliberationis, ratione cuius iracundia gravis quae ex se peccatum mortale est, imputatur ut mortalis, et idem est de morosa delectatione.

Ebrietatem vero non esse ex genere peccatum mortale videntur sentire D. Thomas, *De malo*, a.8 ad 3¹⁸⁶, et q.8, a.4 ad 1¹⁸⁷, et 2, d.24, q.3, a.6¹⁸⁸; Altissiodorensis, 2 p., trac.28, cap.2 in 4¹⁸⁹; et D. Bonaventura, 4, d.16, a.3, q.1c¹⁹⁰.

Nihilominus sit CONCLUSIO: *Ebrietas ex genere est peccatum mortale*. Et D. Augustinus citatus frequentiam ebrietatis requirit ut signum quo non excusetur aliquis a peccato mortali per ignorantiam, quia scilicet nesciret ea quantitate vini obruendum esse iudicium, ita D. Thomas hic et 2^a 2^{ae}, q. 150, a.2¹⁹¹, ubi Caietanus, a.2¹⁹², Conradus hoc a.¹⁹³, Glossa, 25 d. § Alias, verbo plus accipit¹⁹⁴; D. Antoninus, 2 p, tit.6, cap.3¹⁹⁵, qui id probat late et optime; Angelus¹⁹⁶ et Sylvester, verbo *ebrietas*¹⁹⁷, Navarrus, cap. 23, n.121¹⁹⁸.

(Roma 1582), cols.162s.

¹⁸⁵ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.88, a.5: ed. leon. 7, 138.

¹⁸⁶ THOMAS AQ., *De malo*, q.8, a.1, ad 3: ed. leon. 23, 191b.

¹⁸⁷ ID., *Ibid.*: *ibid.*, 23, 207a.

¹⁸⁸ THOMAS AQ., *In 2 Sententiarum*, d.24, q.3, a.6: *Opera Omnia*, ed. Vivès, t.8 (Paris 1873), p.331.

¹⁸⁹ No hemos verificado esta cita.

¹⁹⁰ BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 4, d.16, a.3, q.1c: ed. *Opera omnia*, t.4 (Quaracchi 1889), p.409b.

¹⁹¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.150, a.2: ed. leon. 10, 184.

¹⁹² THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti. Thomae*, 2.2., q.150, a.2: ed. leon.

Operum Sti. Thomae, 10, 184.

¹⁹³ CONRADUS KOELLIN, O.P., *Expositio Commentaria... in Primam Secundae... S. Thomae Aquinatis*, q.88, a.5: Venecia 1589, p.708a.

¹⁹⁴ C.I.C., c.3, D.25, § Alias, v.Plus accipit: ed. *Decretum Gratiani...una cum glossis*, Roma 1582, col.163.

¹⁹⁵ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.6, c.3: Lyon 1542, s/f.

¹⁹⁶ ANGELUS CHIVASSO, *Summa Angelica, v. ebrietas*: Venecia 1525, f.232.

¹⁹⁷ SYLVESTER PRIERAS, OP, *Summa Summarum, v. ebrietas*, n.2 y 4: Lyon 1582,

Colligi potest ex Paulo, 1 Cor 5 [11] et 6 [10] ubi ebriosos dicit esse fugiendos et non esse possessuros regnum Dei, et ad Gal 5 [21] ebrietates numerat inter opera carnis de quibus praedicit *quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt*. Sed cum in posteriori loco numeret comessationes simul cum ebrietatibus, et cum primo loco avaros et ebriosos coniungat, et rursus, cum avaritia et comessatio ex genere non sint mortalia peccata nisi quando in illis constituitur finis ultimus modo explicato in fine praecedentis articuli; non constat certo ex iis locis ebrietatem esse peccatum mortale ex genere, verumtamen probabiliter suadetur, praesertim cum reliqua omnia vitia quae ibi numerantur sint ex genere mortalia.

Ratione autem probatur [f.129] quia qui scienter procurat ebrietatem sine necessitate, privat se magno bono, scilicet usu rationis. Quod si contingere possit ebrietatem esse necessariam ad salutem, cui non possit aliis mediis subveniri sine gravi detrimento, recte Sylvester ait licere¹⁹⁹, et colligitur ex D. Thoma. Vide caput *Ante omnia*²⁰⁰, et cap. *Crapula, De vita et honestate clericorum*²⁰¹, ubi sub gravibus poenis interdicitur clericis ebrietas.

Articulus 6^{us}

Utrum peccatum mortale possit fieri veniale

Quomodo mortale fiat veniale per poenitentiam, dictum est supra, a.6, prope initium. Nunc non agitur nisi de modo quo peccatum mortale in seipso et formaliter possit veniale fieri.

1, p.297.

¹⁹⁸ M. DE AZPILCUETA, *Enchiridion sive manuale confessariorum*, c.23, n.121: Venecia 1584, p.698.

¹⁹⁹ SYLVESTER PRIERAS, OP, *Summa Summarum*, v. ebrietas, n.2: Lyon 1582, 1, p.297.

²⁰⁰ C.I.C., c.9, D.XXXV: ed. Friedberg 1, 133.

²⁰¹ C.I.C., c.14, X, De vita et honestate clericorum, III, 14: ed. Friedberg, 2, 452s.

CONCLUSIO 1^a *Peccatum mortale non fit veniale quia ordinatur ad peccatum veniale, quia inde non minuitur eius deformitas sed augetur.*

2^a CONCLUSIO: *Mortale fit veniale per diminutionem libertatis, sed tunc variatur species moralis, ut dictum est supra, a.1, dub.15, dicto 3²⁰².*

Alia quae tantum D. Thomas hic, satis constat ex dictis superius.

Quaestio 89^a

De peccato veniali secundum se

Articulus 1^{us}

Utrum peccatum veniale causet maculam in anima

Gabriel, 4, d.16, q.1, a.1²⁰³, existimat ex peccato veniali non relinqui aliam in anima nisi reatum ad poenam, sed illius fundamentum est improbable: existimat enim in peccato mortali non manere reatum culpae, sed tantum reatum poenae aeternae, ut docet 4, d.14, q.1, a.1, notabile 2²⁰⁴, ad quem locum remittit lectorem in alio. Sed de huius falsitate dicendum erit quaestione 86. Eadem sententia tribuitur Scoto, 4, d.21, q.1²⁰⁵; sed illam expresse reputata illis verbis: «sed iste modus non placet, quia videntur distinguere inter remissionem culpae et poenae». Loquitur autem de remissione venialis peccati. Videbitur alicui D. Thomam in praesenti favere eidem sententiae sed explicabitur infra.

²⁰² Véase ArchTeolGran 54 (1991) 311.

²⁰³ G. BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, 4, d.16, q.1, a.1: t.4/2 (Tubinga 1977), p.357.

²⁰⁴ Id., *Ib.*, 4, d.14, q.1, a.1, Notabile 2: t.4/1 (Tubinga 1975), p.424.

²⁰⁵ J. DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum quartum Sententiarum*, d.21, q.1: ed. Vivès, t.18 (Paris 1894), p. 715a.

Igitur communis et vera sententia est veniale causare in anima maculam non simpliciter, sed secundum quid. Ita D. Thomas hic et 3 p., q.87, a.2 ad 3²⁰⁶, et utrobique maculam peccati mortalis comparat privationi debitae proportionis membrorum et debiti coloris. At vero [f.129v] maculam venialis peccati comparat super inductis impedimentis decoris veluti sordibus, relicto intrinseco decore et pulchritudine. Idem sentit Albertus, 2 p., tract.18, q.114, mem.4, a.1²⁰⁷; Alexander, 2 p., q.124, mem.1, a.1²⁰⁸; Capreolus, 4,d.16 ad 5²⁰⁹; Conradus²¹⁰, Caietanus²¹¹ et alii in praesenti articulo. Et idem fere D. Antoninus, 1 p., tit.9, cap.2, initio²¹². Probant Albertus et Alexander ex Gregorio dicente «veniale obscurat at vero mortale obtenebrat»²¹³.

Et 1^o: manere post peccatum veniale reatum culpae diversum a reatu poenae PROBATUR 1^o ex communi sententia Patrum et scholasticorum dicentium petendam esse veniam pro peccatis venialibus iam commissis; at vero veniam respicit praecipue culpam, et ex illorum contextu constat eos distinguere inter remissionem culpae et poenae.

Testimonia Sacrae Scripturae et Patrum vide supra, q.88, a.1, dub.7²¹⁴, praesertim in 2^a probatione conclusionis, ubi Augustinus, Chrysostomus, Gregorius, Bernardus et Beda pro remittendis venialibus institutam credunt illa orationis partem «dimitte nobis debita nostra», quam Tridentinus, sess.6, cap.11²¹⁵, dicit esse

²⁰⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.89, a.1c: ed. leon. 7, 341; *ibid.*, 3 p., q.87, a.2 ad 3: ed. c., 12, 318.

²⁰⁷ ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tr.18, q.114, mem.4, a.1: ed. Vivès *Operum*, t.33 (Paris 1895) p.338.

²⁰⁸ ALEXANDER ALENSIS, *Summa Theologica*, 2 p., q.124, mem.1, a.1: ed. 1516, f.269.

²⁰⁹ No hemos podido verificar esta cita.

²¹⁰ CONRADUS KOELLIN, *Expositio commentaria prima... in Primam Secundae Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis*, q.89, a.1: Venecia 1589, p.711 A.

²¹¹ TOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti. Thomae*, 3 p., q.87, a.2: ed. leon. op. Sti. Thomae, 12, 318.

²¹² ANTONINUS, *Summa*, 1 p., tit.9, c.1: Lyon 1529, f.100.

²¹³ Véase la nota 208.

²¹⁴ Véase *ArchTeolGran* 53 (1990) 220-232.

²¹⁵ DS 1537; J. COLLANTES, *La fe de la Iglesia Católica*, n.848.

veracem et humilem iustorum vocem. Colligitur similiter ex illo Joannis 13 [10] «qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus»: ecce maculam non simpliciter, sed secundum quid, ut de venialibus explicat Augustinus ibi^{216***} et Bernardus in sermone *De coena Domini*²¹⁷.

PROBATUR 2^o, quia sacramentalia instituta sunt ad delenda venialia peccata et non contrario ad poenam remittendam, alioqui coinciderent cum indulgentiis et non magis pertinerent ad venialia quam ad poenam peccatorum venialium. Vide 3 p., q.87.

3^o, quia controversia est inter scholasticos quomodo post hanc vitam deleantur quaedam venialia; et controversia est non est de poena dimittenda, nam hoc manifestum est, sed de culpa. Vide Doctores in 4, d.21, et 3 p., q.87.

4^o PROBATUR ratione, quia si vere actus venialis est culpa secundum quid, necessarium est ut propter illam maneat homo dignus ut secundum quid displiceat Deo et sit illi infensus secundum quid donec dimittatur; et haec culpa non reducitur ad rectitudinem per solam poenae solutionem, nisi culpa formaliter et directe retractetur et reducatur ad ordinem aliquo actu bono vel virtute alicuius sacramentalis, de quo ubi de poenitentia. Si autem petas quid sit iste reatus, RESPONDEO esse mo[f.130]ralem durationem et imputabilitatem praecedentis peccati venialis donec poenitentia deleatur; et ratione huius durationis et imputabilitatis persona Deo displicet secundum quid, quamvis illi sit simpliciter grata. Et in idem redit quod alii dicunt reatum culpae venialis esse habitualement privationem conformitatis cum lege secundum quid obligante. Et ratio est, quia actuale veniale est actualis privatio dictae conformitatis et macula peccati venialis est imputabilitas permanens praecedentis venialis, unde est habitualis privatio imputabilis.

²¹⁶ AUGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium Tractatus CXXIV*, tr.57: CCL 36, 468-472; PL 35, 1787-1792. No hay alusión a los veniales. Habla de los pecados después del bautismo.

²¹⁷ BERNARDUS, *Sermo in Coena Domini*: ed. Cistercienses Operum, t.5 (Roma 1968) p. 71.

Quod autem D. Thomas ait peccata venialia auferre illum nitorem qui provenit ex actibus virtutum, ideo dicit quia peccato veniali nihil gratiae et supernaturalium habituum minuitur, ut 2^a 2^{ae}, q.24, a.12²¹⁸. Et macula dicta solum pertinet ad imputabilitatem extrinsecam praecedentis actus mali, unde constat maculam venialis peccati non esse aliquid reale et physicum, sed tantum aliquid morale et ens rationis.

Articulus 2^{us}

Utrum convenienter peccata venialia per lignum, foenum et stipulam designentur

Affirmat D. Thomas ex Augustino, sermone 41 de Sanctis²¹⁹, et *De fide et operibus*, c.15 et 16²²⁰, et alibi saepe ita explicantem metaphoram qua utitur Paulus 1 Cor 3 [12s] cuius varias expositiones Sanctorum videre licet apud Medinam²²¹ et Zumel²²² in praesenti, sed praecipue apud Bellarminum, t.1, *Controversiarum*, 6 De purgatorio, l.1, c.4²²³

²¹⁸ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.24, a.10: ed. leon. 8, 192b.

²¹⁹ AUGUSTINUS, *Sermo 41 de Sanctis* : Basilea 1543 (t.10 Oper. Sti. Aug.), col.1250: PL 39, 1146.

²²⁰ ID., *De fide et operibus*, c.15 y 16: CSEL 41, 64-74; PL 40, 212-217.

²²¹ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae angelici doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.89, a.2: Venecia 1602, p.467s.

²²² F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.89, a.2: Salamanca 1594, t.1, p.711.

²²³ ROBERTO BELLARMINO, *De Controversiis Christianae fidei adversus huius temporis Haereticos*, Sexta Controversia generalis: De Ecclesia, quae est in Purgatorio, l.1: De Purgatorio an sit, c.4: Lyon 1590, t.1, cols.1442 D - 1452 E.

Articulus 3^{us}
Utrum homo in statu innocentiae
potuerit peccare venialiter

Primo, Durandus, 2, d.21, q.4, 1²²⁴, inquit, sensus huius quaestionis esse potest: an durante statu innocentiae primus homo potuerit peccare venialiter. Et constat non posse; nam qui peccat venialiter reus est poena non solum damni, sed etiam sensus. Hoc reiicit Carthusianus, 2, d.21, q.6 fine²²⁵, quia innocens esse potest in hac vita quae non vacat venialibus culpis, dicente David [Ps 24 21]: *innocentes et recti adhaeserunt mihi*. Et alibi [Ps 23 4]: *innocens manibus et mundo corde*; Ergo permanere potest innocentia simul cum veniali culpa. Praeterea, quia solius peccati mortalis est poena damni; at vero venialis peccati temporalis poena sensus, de quo infra. Quare dicendum est culpa [f.130v] veniali, si foret, laedi tantum secundum quid statum innocentiae, quia est culpa secundum quid, supra, a.1, dub.

Nec dici potest propter venialia amittendum esse illum statum, quia de lege ordinaria propter veniale peccatum nullus spoliatur gratia vel aliquo dono supernaturali, quia ad hoc non est proportionata levitas culpae venialis, ut supra, q.88, a.1, dub.8²²⁶, quare propter veniale peccatum si foret in Adamo ante mortalem culpam non amitteret gratiam nec perfectionem illius, qua constituitur status innocentiae.

2^o. Albertus, apud Dionysium citatum, et Alexander, 2 p., q.120, mem.6²²⁷, notant in Adamo in statu innocentiae fuisse totam illam potentiam qua venialiter peccavit posteaquam peccavit mortaliter; hic autem quaeritur, utrum illa potentia potuerit reduci ad actum peccati venialis prius quam peccaret mortaliter, an vero

²²⁴ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, l.2, d.21, q.4, n.4: Amberes 1566, f.166v.

²²⁵ DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In secundum librum Sententiarum*, d.21, q.6: Colonia 1535, p.411b.

²²⁶ D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, q.88, a.1, dub.8: Véase *ArchTeolGran* 53 (1990) 232-239.

²²⁷ ALEXANDER ALENSIS, *Summa Theologica*, pars 2^a, q.120, mem.6: ed.1516, fol.251d-252a.

ut peccaret venialiter necessarium fuerit Adamum prius cadere ab statu innocentiae per mortale peccatum.

Prima opinio asserit in statu innocentiae potuisse primum peccatum esse veniale. Hanc Altissiodorensi tribuit Dionysius, 2, d.21, q.6²²⁸, ubi eam tenet Scotus, q.1²²⁹; Gabriel, 2, d.22, q.1, a.3, dub.1²³⁰; Maior, 2, d.21, q.1²³¹; et in eandem magis inclinat Almain, 3 *Moralium*, c.22²³² et tanquam probabilem defendit Ricardus, 2, d.21, a.3, q.1²³³.

Huic sententiae videtur favere Glossa in id 1 Tim 2 [14]²³⁴: Adam non est seductus. Huius verba desumpta sunt ex Augustino, 14 *De Civitate*, c.11²³⁵, dicente: Inexpertus divinae severitatis in eo falli potuit ut crederet veniale esse commissum, quod tamen non crederet Adam nisi posset venialiter peccare. Verum Divus Thomas, ad 1, recte ait illis verbis appellari veniale peccatum quod facile impetratum sit veniam, non vero quod ex genere suo relinquit integrum principium impetrandi veniam. De quibus acceptionibus venialis dictum est q.88, a.1, dub.7 initio²³⁶.

Praeterea Augustinus, 11 *Super Genesim ad litteram*, c.5²³⁷, ait non esse arbitrarium quod esset hominem deiecturus tentator, nisi praecesisset in anima hominis quaedam elatio comprimenda. Enarrat etiam alia prava desideria quae hominis deiectionem praeciserint, sed quodlibet peccatum mortale sufficeret ad [f.131]

²²⁸ DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In secundum librum Sententiarum*, d.21, q.6: Colonia 1535, p.411.

²²⁹ J. DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, d.21, q.1: ed. Vivès, t.13 (Paris 1893), p. 135.

²³⁰ G. BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, 2, d.22, q.1, a.3, dub.1: ed.c., t.2 (Tubinga 1984), pp.448-451. parece inclinarse por la opinión de Escoto (p.451) como más probable.

²³¹ J. MAIOR, *In secundum librum Sententiarum*, d.21, q.1: Paris 1519, f.108v.

²³² J. ALMAIN, *Opuscula moralia*, l.3, c.22: Paris, s/a, f.74.

²³³ RICARDUS A MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi*, 2, d.21, a.3, q.1: Brixiae 1591, p.266s.

²³⁴ W. STRABUS, *Glossa ordinaria*, in 1 Tim 2, 14: PL 114, 628

²³⁵ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, l.14, c.11: CCL 48, 433, 89-91; PL 41, 420.

²³⁶ Véase *ArchTeolGran* 53 (1990) 220.

²³⁷ AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram*, l.11, c.5: CSEL 28/1, 338; PL 34, 432.

ruinam Adami; Ergo peccata quae praecesere ruinam illius non mortalia, sed venialia fuerant. Verum D. Thomas hic, ad 2, optime ait illam elationem et alia desideria fuisse peccata mortalia et non praecesisse interiorem ruinam, sed solum exteriorem actum peccati. Atque hoc solum intendere D. Augustinum.

Adhuc tamen pro hac sententia ARGUITUR 1^o, quia peccatum mortale magis opponitur integritati illius status quam veniale peccatum; sed homo potuit peccare mortaliter non obstante integritate status innocentiae; Ergo potuit etiam peccare venialiter. CONFIRMATUR, quia ab extremo ad extremum non transitur nisi per medium; sed transeunti a gratia ad peccatum mortale medium est peccatum veniale et dispositio ad mortale; Ergo Adam peccavit venialiter prius quam mortaliter.

Secundo ARGUITUR, quia donum originalis iustitiae non coniungebat hominem Deo perfectius quam modo gratia gratum faciens coniungit hominem iustum; sed quaecumque gratia viatoris quantocumque intensa non excludit omne peccatum veniale; Ergo iustitia originalis non excludebat omne veniale.

Tertio, quia Adam potuit proferre verbum otiosum aut mendatum leve; et illa non essent peccata mortalia.

Quarto, quia alias peccatum mortale et veniale aequae repugnarent statui innocentiae, quia quocumque illorum dato destrueretur status innocentiae.

Vera et communior sententia Doctorum est hominem in statu innocentiae non potuisse peccare venialiter. Ita docet D. Augustinus, 14 *De Civitate*, c.10 et c.26²³⁸; D. Thomas, hic, ubi Conradus²³⁹ et Caietanus²⁴⁰ et reliqui discipuli; Alexander, 2 p., q.120, mem.6²⁴¹; Altissiodorensis, licet obiter, 1.2 *Summae*,

²³⁸ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, l.14, c.10 y 26: CCL 48, 430s; PL 41, 417 y CCL 48, 449s; PL 41, 434s.

²³⁹ CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio commentaria prima...*, q.89, a.3: ed.c., p.714b.

²⁴⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti. Thomae*, 1.2., q.89, a.3: ed. leon. Operum Sti. Thomae, 7, 144.

²⁴¹ ALEXANDER ALENIS, *Summa Theologica*, pars 2^a, q.120, mem.6: ed.1516,

tr.29, c.1, q.4²⁴². Et communiter Doctores, 2, d.21, ubi D. Bonaventura, a.3, q.1²⁴³; Aegidius, q.2²⁴⁴; Durandus, q.4²⁴⁵; Capreolus, q.1²⁴⁶; Dionysius, q.6²⁴⁷, et apud illum Albertus Magnus et Petrus. Et D. Thomas et Altissiodorensis dicunt esse communem sententiam. Tenet etiam Marsilius, 2, q.14, a.2²⁴⁸; Sotus, 1 *De natura et gratia*, c.6 fine²⁴⁹; et eam ut probabilem et magis communem defendit Ricardus, 2, d.21, a.3, q.1²⁵⁰.

Huius sententiae rationem reddit D. Bonaventura et Albertus quia quodcumque peccatum [f.131v] committeret Adamus etiam unicum verbum otiosum esset in eo peccatum mortale propter altitudinem status, et quia in illo esset plene deliberatum.

Hanc sententiam reiiciunt D. Thomas et alii Doctores, tum quia circumstantia personae (praeciso voto aut praecepto aut alia obligatione status) non transfert peccatum ad aliam speciem, licet intra eandem augeat; sed verbum otiosum non erat prohibitum Adamo peculiari praecepto aut voto, aut certe non omnia venialia prohibita erant ita rigide; ergo in illo non forent mortalia si committerentur illa peccata ex genere venialia. Confirmatur, quia ex ipsa rei natura non est dignum aeterna poena unicum verbum otiosum, licet in statu innocentiae committatur. Quod autem asserit haec sententia omne peccatum plene deliberatum et non procedens ex passione, sed ex mera libertate esse mortale quamvis ex obiecto

fol.251d-252a.

²⁴² GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS, *In quattuor Sententiarum libros*, 2, tr.29, c.1, q.4: Paris s/a, f.103, col.3.

²⁴³ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi*, 2, d.21, a.3, q.1: ed. Operum, t.2 (Quaracchi 1885), p.504s.

²⁴⁴ AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In secundum librum Sententiarum Quaestiones*, d.21, q.2, a.3: Venecia 1581, p.193s.

²⁴⁵ Véase nota 224.

²⁴⁶ J. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae divi Thomae Aquinatis*, in 2, d.21, q.1, a.1: ed. Turin, 1903, t.4, p.180s.

²⁴⁷ DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In secundum librum Sententiarum*, d.21, q.6: Colonia 1535, p.411.

²⁴⁸ MARSILIUS DE INGHEN, *Quaestiones super quattuor libros Sententiarum*, 2, q.14, a.2: Strasburgo 1501, f.264v.

²⁴⁹ D. SOTO, OP, *De natura et gratia*, l.1, c.6: Salamanca 1564, f.22.

²⁵⁰ RICARDUS A MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi*, 2, d.21, a.3, q.1: Brixiae 1591, p.266s.

leve sit, falsum est, ut constat ex dictis supra, q.88, a.4, dub.4 initio²⁵¹.

Igitur ut communis sententia firmo nitatur fundamento, opus erit ostendere Adamum non potuisse labi in verbum otiosum aut aliud peccatum quod ex genere sit veniale, nisi prius per mortale peccatum amisisset statum innocentiae. Hoc autem probat D. Thomas, 1^o, quia ad perfectionem illius status pertinebat ita infallibilis ordinis firmitas ut semper inferius contineretur sub superiori, quamdiu summum hominis contineretur sub Deo, ut docet D. Augustinus, 14 *De Civitate*, c.10²⁵²; sed quamdiu iustus non peccat mortaliter manet summum hominis subiectum Deo et per peccatum veniale deordinatur solummodo id quod inferius; ergo non daretur talis deordinatio venialis quamdiu homo se continuisset a peccato mortali. Minor probatur, quia in homine summum quo subditur Deo est voluntas deliberata circa finem, et consequenter circa res simpliciter necessaria ad finem. Hoc enim est summum tam ex parte potentiae, propter plenam libertatem et dominium in actu, quam ex parte obiecti; hoc autem constat manere integrum quamdiu iustus non peccat mortaliter. Si enim plena deliberatione aliquid committeret contra finem aut contra res simpliciter necessarias ad finem, esset peccatum mortale, ut constat supra, q.88, a.1²⁵³. At vero peccata venialia semper pertinent ad inferiores vires hominis non plene subiectas supremae potestati hominis. Nam peccata aut sunt venialia defectu libertatis, ut subiti mutus incredulitatis (et ea peccata proveniunt quia executio actus non plene subiecta est libertati), vel sunt peccata venialia quia insurgunt subiti [f.132] motus in sensualitate²⁵⁴ (et hos constat pertinere ad inferiores vires), vel sunt peccata venialia ex parvitate materiae, ut furtum unius pomi, vel venialia ex genere, ut verbum otiosum. Et huiusmodi peccata venialia pertinent ad inferiores vires quantum est ex parte obiecti, quia non

²⁵¹ Véase p.239ss.

²⁵² Véase nota 238.

²⁵³ Véase *ATG* 53 (1990) 174.

²⁵⁴ Ms: *sensualitatum*.

versantur circa res simpliciter necessarias ad finem, sed tantum circa res quodam modo necessarias.

Unde circa hanc rationem, ad vitandas calumnias Almaini, Gabrielis et aliorum, adverte nomine inferiorum virium contineri non solum appetitum sensitivum, sed etiam voluntatem ipsam, ut quodam modo est natura et non plene libere operatur, et ut versatur circa objecta minoris momenti. Adverte etiam modum quo dicimus venialia esse circa media et non circa finem, de quo supra, q.88, a.1, dub.10²⁵⁵.

2^o PROBATUR ex D. Thoma, ad 3, quia in statu innocentiae nihil imperfectionis et mali esse potuit; at vero si primum peccatum hominis esset veniale illud non destrueret statum innocentiae, ac proinde maneret aliquod malum simul cum illo statu.

3^o PROBAT D. Thomas in *Sed contra*, quia nihil tristitiae et pena potuit esse in statu innocentiae, ex Augustino, 14 *De Civitate*, c.10 et c.26²⁵⁶, et *De correptione et gratia*, c.11²⁵⁷. Quod si committeretur peccatum veniale, necessaria esset poenitentia qua deleretur et poena qua redderetur digna satisfactio.

Sed RESPONDET Scotus 1^o in statu innocentiae propter veniale peccatum solvendam fuisse aliam poenam, scilicet displicentiam illius peccati, et hanc poenam non repugnare illi statui. – Sed hoc in primis est contra Augustinum citatum; deinde, cum secundum rectam rationem sapiens debeat dolere magis de culpa veniali quam de morbo, egestate et similibus malis inconsequens est dicere tristitiam quae ex iis malis sequitur repugnare felicitati illius status, et non repugnare tristitiam et poenam quae in viro sapientissimo consequeretur ex veniali culpa.

Respondet 2^o Scotus non esse necessarium ut poena satisfaceret Adamus pro peccato, sed satis esset si ferventior aliquo actu caritatis deleret venialia. – Contra hanc solutionem obiicit Conradus²⁵⁸, quia quamvis fervens actus caritatis

²⁵⁵ Véase *ArchTeolGran* 54 (1991) 281–286.

²⁵⁶ Véase nota 238.

²⁵⁷ AUGUSTINUS, *De correptione et gratia*, c.11, n.29: PL 44, 933s.

²⁵⁸ CONRADUS KOELLIN, *OP, Expositio commentaria prima ...in Primam Secundae*

obtineret veniam culpae, sed non satisfaceret pro poena debita. Sed quidquid sit de hoc, quod pertinet ad materiam de poenitentia, impugnatur Scotus quia qua ratione Adamus poterat peccare venialiter, potuisset etiam committere²⁵⁹ ob remedium [f.132v] venialis, quod illi concedit Scotus. Et propterea dignus esset ut a Deo puniretur in hoc saeculo vel in futuro ne illa culpa infectus transiret in gloriam. Consequens autem est contra communem sensum Theologorum dicentium homines ab statu innocentiae inferendos esse in coelum nullo interveniente supplicio. CONFIRMATUR, quia si aliquis existens in statu innocentiae committere poterat venialia, posset etiam committere plura et gravia intra latitudinem venialis, unde mereretur in hac vita vel in purgatorio graviora tormenta quam quae proveniunt ex gravissimis morbis; quod si haec repugnant statui, magis illa.

4^o, quia Adamus quamvis posset cadere ab statu innocentiae, et propterea incurrere mortem corporis, nihilominus non poterat in illo statu persistens incurrere infirmitatem quae disponit ad mortem; ergo similiter non poterat incurrere in veniale, quod est infirmitas disponens ad mortem animae.

5^o, quia si Adamus in statu innocentiae saepius repeteret peccatum aliquod veniale, ut mendacium, generaretur in eo habitus mentiendi, unde maneret in eo difficultas circa virtutem veracitatis; quaelibet autem difficultas circa virtutem repugnat illi statui. Respondet Almainus²⁶⁰: non generaretur habitus, quia repugnat iustitiae originali. Sed contra, quia qua ratione iustitia originalis pugnat cum habitu peccandi venialiter, pugnabit etiam cum actu a quo talis habitus naturali consecutione resultat.

6^o favet alia ratio quae colligitur ex Augustino, 14 *De Civitate*, c.26²⁶¹, quia si posset peccare venialiter, posset in qualibet materia; unde potuisset permitter in carne inordinatos motus veniales contra rationem. Unde merito potuisset erubescere et indigere vestimentis, et potuisset nimio cibo nocere valetudini; est

Angelici D. Sti. Thomae Aquinatis, q.89, a.3: Venecia 1589, p.715.

²⁵⁹ Así el ms., quizás por *poenitere*.

²⁶⁰ J. ALMAIN, *Opuscula moralia*, l.3, c.22: Paris, s/a, f.74v.

²⁶¹ Véase nota 238.

autem contra illum statum erubescencia, indigentia vestimentorum et infirmitas. Et minus consequens erit dicere Deum sua providentia impediturum peccata venialia solum in tali materia quam dicere omnia venialia repugnare illi statui.

Circa modum quo factum est ne Adam peccaret venialiter antequam peccaret mortaliter, difficultas restat. Aliqui recentes, quos sequitur Zumel, in conclusione 3²⁶², existimant factum esse extrinseca Dei providentia, quae propter illius status integritatem debuerit non permittere Adamum prolabi in veniale, et tamen decreverat permittere illi mortale. Asserunt praeterea id non potuisse fieri per aliquam intrinsecam qualitatem. Quod probant primo, quia intelligi nequit aliqua dispositio quae potestatem auferat anteposendi bonum sensibile bono honesto in materia levi et tamen eandem potestatem non auferat in materia gravi. Confirmatur, quia nulla qualitas fingi potest in Adamo quae necessario contineret illum ne comedere pomum si interdictum fuisset solum sub veniali culpa, et tamen eadem non contineret necessario si interdictum esset pomum sub mortali culpa. Probat secundo, quia omnes habitus praesertim iis qui Deum non vident subiacent libero arbitrio; ergo nullus actus fingi potest in Adamo quo necessario contineretur ne peccaret venialiter.

Nihilominus probabilius existimo datam fuisse qualitatem intrinsecam qua Adamus contineretur infallibiliter ne peccaret venialiter quamdiu non peccaret mortaliter. Dixi *infallibiliter* et non *necessario*, quia quamvis libere inclinaret tamen illa qualitas <obtineret> ut Adamus infallibiliter non peccaret venialiter. Probat, quia si forte est possibilis talis qualitas, illa pertinebit ad magis suavem Dei providentiam qui per creatas causas solet producere effectus qui secundum ordinariam providentiam producendi sunt in quocumque statu, et ipsa non nisi urgente necessitate concurrat ut causa particularis. Pertinet etiam ad maiorem perfectionem illius status habere ab intrinseco principium servandi suam integritatem. Rursus, possibilem esse eiusmodi

²⁶² F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.89, a.3, concl.3: Salamanca 1594, t.1, p.716b-717a.

qualitatem probatur, et solvuntur simul adversariorum obiectiones, quia dari potest habitus tam perfectus et intensus in voluntate et alius in intellectu inclinans ad tam perfectam et tam vehementem commissionem alicuius obiecti ut data occasione inclinent ad actum infallibiliter et libere elicendum praesertim si nulla sit difficultas et molestia in tali actu. Constat enim esse aliquos religiosos ita affectos ad bonum obedientiae et tantam cognitionem habitualement habentes meriti obedientiae ut nulla existente difficultate ex parte actus praecepti infallibiliter sit illos non esse transgressuros praeceptum, praesertim plena deliberatione. Et de eiusmodi infallibilitate dixi plura, 1 p., in disputatione de praedefinitione, q.4 et 5, et praesertim q.6²⁶³.

Hinc infero dari potuisse in Adamo habitum tam intensum et tam efficacem in suo genere inclinanten ad servandam integritatem status quamdiu maneret status; et praeterea in intellectu dari potuisse habitum inclinantem ad tam claram et vehementem cognitionem huius boni ut infallibile esset Adamum servaturum esse integritatem et decorem sui status quamdiu maneret status, praesertim cum nullam difficultatem pateretur Adamus in hac re.

Quot autem idem habitus non inclinaret infallibiliter ad vitandum peccatum mortale [f.133v] probatur, quia habitus non inclinatur nisi ad suum obiectum formale et ad obiecta materialia in quibus reperitur idem obiectum formale, supra, q.71, a.4 fine²⁶⁴. Huius autem habitus obiectum formale et motivum adaequatum constituitur esse integritatem status servandam quamdiu maneret status. Haec autem ratio formalis non reperitur in fugiendo peccato mortali, sed solummodo in veniali. Huius rei aliquod vestigium reperimus in multis hominibus qui facilius discedunt ab statu honorifico quam in illo patientur aliquod quod statum non deceat. Confirmatur primo, quia possibilis est habitus qui necessario

²⁶³ D. RUIZ DE MONTOYA, S.I., *Commentarii ac Disputationes ad q.22 et bonam partem quaestionis 23, ex Prima parte S. Thomae, De Providentia praedefiniente ac praebente praedestinationis exordium*, tr.2, De praedefinitionibus, disp.10, sect.3: Lyon 1631, p.161 (donde exponiendo los argumentos de razón, alude a los de autoridad de la Sagrada Escritura y Padres, de las disputas anteriores).

²⁶⁴ Véase *ArchTeolGran* 49 (1986) 345.

inclinat ad assensum consequentis ex suppositione admissi antecedentis et tamen non inclinat ad assensum antecedentis quomodo inclinatur logica ad assentiendum conclusionibus aliarum conclusionum illatis per evidentem consequentiam; ergo possibilis est habitus inclinans ad vitanda venialia ex suppositione quod non committatur mortale. Probo consequentiam, quia sicut ratio formalis habitus logici et consonantia actus circa conclusionem cum actu circa principia, ita ratio formalis istius habitus erit consonantia actuum voluntatis circa media non simpliciter necessaria ad finem cum actu amoris ultimi finis. Confirmatur ex dicendis in sequenti articulo de angelis.

Sed dices: quomodo impedire potuit hic habitus ne subreperet minus deliberatum peccatum in ratione quod ex indeliberatione esset veniale et praeterea ne insurgeret in appetitu sensitivo aliquis inordinatus affectus, RESPONDEO hunc habitum propter praedictum motivum servandi integritatem status inclinasse ad suspendendum omnem actum quousque plene deliberaretur an bene ordinatus esset; idque semper quando operabatur intellectus considerabat actualiter quod praestare poterit propter summum amorem dictae integritatis, et quia sine ulla difficultate aut molestia cognoscere poterat dignitatem illius.

Idem habitus inclinabat eadem ratione ad retinendam omnem inclinationem appetitus sensitivi quousque deliberaret ratio, quapropter si potuisset appetitus in illo statu prosilire in actus inordinatos sufficiens erat praedictus habitus existens in ratione ut infallibiliter impediret omnem consensum voluntatis in illos motus appetitus, ac proinde tales motus non imputarentur in peccata venialia. Verumtamen ii motus appetitus sensitivi praevenientes consensum rationis non poterant esse in statu innocentiae ut omnes theologi docent. Hoc autem suaviter et congrue fieri potuit per qualitates existentes in aestimativa et in appetitu sensitivo Adami ratione quarum aestimativa nihil sensibile proponeret appetitui nisi proponendo etiam quasi maximum bonum sensibile expectare rationis [f.134] ductum. Et appetitus idem bonum amaret maxime

quod non est huius loci explicare. Colligi tamen potest ex iis quae diximus q.71, a,2, dub.3²⁶⁵.

Ad argumenta initio posita RESPONDEO: ad primum, negando consequentiam, quia integritas primi status auferri potuit, sed minui non potuit propter rationes superius dictas. Ad confirmationem RESPONDEO peccatum veniale non esse medium necessarium inter gratiam et peccatum mortale, quamvis in nobis certe veniale praecedat mortalia.

Ad secundum RESPONDEO distinguendo maiorem. Licet enim iustitia originalis non coniungeret nos Deo perfectius intensive quam modo coniungit gratia, nihilominus extendisse iustitiam originalem suas vires ad plures potentias et plures actiones quas plenius coniungebat Deo et subiiciebat rationi quam modo coniungit gratia.

Ad tertium RESPONDEO: si Adamus in statu innocentiae protulisset verbum otiosum, committeret veniale peccatum; verumtamen infallibile erat ratione illius status numquam fore ut proferret verbum otiosum propter rationes superius dictas.

Ad quartum RESPONDEO statui innocentiae non aequaliter nec eodem modo repugnare peccatum veniale et mortale. Nam peccatum mortale poterat primo congressu invadere existentem in statu innocentiae et illum deiicere; at vero peccatu veniale non poterat, nisi prius deiectum invadere. Quodsi daretur in eo statu peccatum veniale non excluderet simpliciter innocentiam, ut dictum est.

Articulus 4^{us}

Utrum angelus bonus vel malus possint peccare venialiter

Primo, certum est angelum beatum ratione status non posse peccare venialiter.

²⁶⁵ Véase *ArchTeolGran* 49 (1986) 283-293.

Secundo, probabilius videtur angelum quamdiu fuit in via non potuisse peccare venialiter ratione gratiae quam acceperat a Deo qua inferiores vires plene subiiciebantur superiori. Quod inde probabiliter colligitur quia angelus in via non erat creandus in statu minus perfecto quam creandus fui homo; sed homini ratione status innocentiae repugnabat peccatum veniale, ut in praecedenti articulo; ergo etiam angelo.

Restant duo valde ambigua. Primum, utrum naturae angeli praecisa omni gratia repugnet peccare venialiter. Secundum, utrum angelus qui semel peccavit mortaliter, possit aliquando peccare venialiter.

Divus Thomas universaliter ait nullum angelum posse peccare venialiter. Et quia praecipua ratio D. Thomae nititur naturae angeli, et illius decreto ideo videtur utrique ambiguitati propositae respondere. Ac proinde veniale peccatum repugnare [f.134v] angelo propter illius naturam sentit ex mente D. Thomae Conradus²⁶⁶ et Caietanus hic²⁶⁷, licet alii thomistae oppositum sentiant.

Prima ratio D. Thomae, in *Sed contra*: quia maior est perfectio angeli quam hominis in statu innocentiae; sed homo in statu innocentiae non potuit peccare venialiter; ergo. Sed haec ratio nihil probat circa naturam angeli praecisa omni gratia, quia haec non fuit perfectior quam fuerit homo in statu innocentiae simul cum gratia.

Secunda ratio est, quia angeli nihil operantur nisi in ordine ad finem quem sibi semel proponit; ita ut si Deum ament ut finem, nihil operentur nisi servato ordine ad Deum, ac proinde numquam peccabunt; si vero finem constituent in superbia, nihil operentur nisi in ordine ad finem superbiae; quare omnis actus illorum erit peccatum mortale. Hoc fundamento probat, quia angelus numquam per intellectum fertur in conclusiones nisi servata debita proportione cum principiis; ergo per voluntatem numquam fertur

²⁶⁶ CONRADUS KOELLIN, OP, o.c., q.89, a.4: ed.c., p.717 A.

²⁶⁷ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti. Thomae*, 1.2., q.89, a.4: ed. leon. Operum Sti. Thomae, 7, 145.

in aliquam rem nisi servato ordine ad finem quem sibi proposuit. Probatum consequentia, quia sicut se habent respectu intellectus principia et conclusiones, ita respectu voluntatis finis et reliqua omnia quae non amantur ut finis. Huic rationi adhibere possunt plures solutiones non improbables. 1^o, angelum discursivum esse in supernaturalibus, licet non in naturalibus; ideoque peccare posse venialiter circa supernaturalia, non vero circa naturalia. 2^o, angelum pro libito posse discurrere in naturalibus vel intelligere conclusionem sine principiis, et similiter posse peccare venialiter. 3^o, negari potest illatio ex intellectu ad voluntatem, quia intellectus non est liber circa suas actiones et ideo non operatur nisi cum dependentia conclusionis a principiis; at vero voluntas est libera et libere discedit a recto ordine. 4^o, ad eam proportionem voluntatis cum intellectu angelico sufficeret nullam esse actionem voluntatis quae non referatur in finem ultimum talis actionis quamvis non referatur in finem personae; ac proinde posse aliqua actio esse peccatum veniale. Quod deberet dicere consequenterque existimat angelum malum posse habere actionem liberam quae sit moraliter bona. 5^o. Ad eandem proportionem voluntatis cum intellectu sufficeret ut sicut angelus videt in principiis omnes conclusiones quae ex illis necessario inferuntur, non quae probabiliter, ita eius voluntas amato fine amet necessario media simpliciter necessaria ad finem, sed non necessario amet illa quae non sunt simpliciter necessaria qualia sunt quae non obligant nisi sub veniale. 6^o. His solutionibus valde consonat opinio eorum qui dicunt angelum esse flexibilis arbitrii [f.135] quamvis differat ab hominibus, quia magis tenax est propositi.

Has solutiones nec approbo modo nec reprobo, quia requirunt prolixam disputationem de angelis. Satis fuerit in praesenti qua ratione praesens quaestio ab illis quaestionibus pendeat. Illud tamen assero ex terminis et ex natura angeli esse satis probabile quod à sua naturali propensione tam vehementer inclinatur ad retinendum decorem sui status et ad operandum consequenter ad eundem statum ut quamvis physica libertate potuisset operari sine ordine ad statum et finem personae, nihilominus infallibile sit numquam ita esse operaturos; sicut inter homines reperitur aliquis ita tenax decoris ut in bellica laude nullam neque levem maculam

sustinere possit. Et quantam probabilitatem habet hoc principium ex terminis propter dignitatem angeli, tantam et non maiorem apud me habet sententia D. Thomae quod in angelis ex vi suae naturae praecisa omni gratia et praeciso statu damnationis non possit reperiri peccatum veniale.

Articulus 5^{us}

Utrum primi motus sensualitatis in infidelibus sint peccata mortalia

Huius rei, si qua est difficultas, tractanda est q.74, a.3 et 4, ubi constabit motus primos sensualitatis non esse peccata mortalia, immo nulla peccata esse nisi ratione alicuius consensus quem voluntas praebet. Et eiusdem rationis sunt motus sensuales fidelium hominum et infidelium. Confirmat D. Thomas, quia infidelitas non auget malitiam peccatorum, immo saepe minus propter maiorem ignorantiam; unde 1 Tim 1 [13]: *Sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in infidelitate.* Idem colligitur ad Hebraeos, 6 et 10.

Articulus 6^{us}

Utrum veniale possit esse in aliquo cum solo originali

Inter omnes Doctores constat puerum pervenientem ad usum rationis, postquam ad Deum se converterit et gratiam receperit posse peccare venialiter antequam peccet mortaliter. Difficultas aurem est utrum perveniens ad usum rationis et nondum iustificatus possit venialiter peccare antequam mortaliter peccaverit. Atqui in homine qui creari potuisset in puris naturalibus habere posset eandem difficultatem quam modo habet in hominibus lapsis. Negat D. Thomas, quia puer in primo instanti usus rationis tenetur se convertere in Deum, quod si faciat

consequetur gratiam, si praetermittat peccabit mortaliter.
[f.135v] Sed ut veritatem huius fundamenti examinemus oportet praemittere duas quaestiones: alteram, de praecepto conversionis, alteram de infallibilitate iustificationis supposita conversione.

Dubitatur 1^a

Utrum in primo instanti usus rationis obliget praeceptum conversionis in Deum, et quale sit hoc praeceptum

Non solum Doctores qui negant hoc praeceptum, sed etiam qui affirmant non esse impositum praeceptum ut homo se converterit in primo instanti usus rationis metaphysice accepto ita ut si forte dormit vel in rebus aliis occupatus sit quando imaginativa pervenit ad eam dispositionem quae sufficit ad usum rationis peccet mortaliter puer qui non convertatur, sed instans moraliter acceptum appellatur illud tempus in quo puer perficit primam actionem liberam. Quare inter instans metaphysicum quo homo primo aptus est ad ratiocinandum et peccatum primum hominis necessarium est intercedere aliquod tempus ut plurimum et moraliter quia homines, praesertim rudes et inexperti deliberandi, ut sunt pueri, non deliberant sine tempore. Imo addit probabiliter Vitoria, infra citandus, non censi primum instans usus rationis ad meritum vel peccatum donec puer aliquid percipiat tanquam honestum vel turpe; alioqui nec erit in illo electio circa statum nec conscientiae stimulus nec meritum et peccatum.

Disident autem Doctores huius sententiae dum explicant hoc genus conversionis in Deum praeceptum sit puero pervenienti ad usum rationis. Capreolus, 2, d.40, a.3, ad argumenta Scotus contra secundam conclusionem²⁶⁸ <et> Sotus, l.2, *De iustitia*, q.3, a.10²⁶⁹, existimant in eo instanti obligare amorem Dei super omnia. Idem videtur sentire D. Thomas et D. Antoninus, locis

²⁶⁸ J. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae divi Thomae Aquinatis*, in 2, d.40, q.1, a.3, § 2: ed. Turin, 1903, t.4, p.459s.

²⁶⁹ D. SOTO, OP, *De iustitia et iure libri decem*, l.2, q.3, a.10: Salamanca 1569, t.1, p.114a.

citandis in dubio 3, quia dicunt praeceptum esse puero conversionem in Deum qua iustificetur. Eidem sententiae magis favet Canus, in relectione *De sacramentis*, p.2, ad 1 argumentum contra 1^{am} et 2^{am} conclusionem, solutione 2⁷⁰.

PROBARI potest 1^o, quia nullum praeceptum nisi caritatis obligat hominem ad hanc conversionem; hoc autem praeceptum cum affirmativum sit et proinde non semper obliget, obligabit maxime in primo instanti usus rationis. Numquam enim commodius tempus est, quia transacto illo non manet obligatio maior respectu unius quam respectu alterius temporis. CONFIRMATUR, quia inter naturalia maximum beneficium collatum homini est creatio; ergo huius debet agere quam primum possit, et quam primum noverit a quo acceperit beneficium.

2^o, quia ordo naturae postulat ut cum homo inchoat vitam rationalem incipiat ab intentione ultimi finis, nam ex ea pendet bona institutio vitae.

[f.136] 3^o, quia qui curam gerit aliorum ex officio tenetur illorum utilitatibus perspicere cum primum potest; sed maxime incumbit puero curam de se ipso; ergo cum primum potest tenetur sibi consulere.

4^o, quia votum tenemur explere qua primum possimus; ergo etiam praeceptum diligendi Deum super omnia.

Alii vero dicunt non esse homini praeceptam aliam conversionem in Deum, nisi quae fit per conversionem in bonum honestum in commune, scilicet propositum sequendi in omnibus quod honestum est; quam vocant conversionem confusam in Deum. Ita Caietanus hic et 2.2., q.10, a.4²⁷¹; Vitoria, in *Relectione de pervenientibus ad usum rationis*, p.2, n.12 et 14²⁷²; Medina, hic²⁷³; ubi Zumel, disp.2, p.2, dicto 3²⁷⁴; Báñez, 2.2.,

²⁷⁰ M. CANO, OP, *Relectio de Sacramentis*, 2 p., ad 1^{um} argumentum contra 1^{am} et 2^{am} conclusionem, solutione 2: ed. Serry (Madrid 1770), t.2, p.409.

²⁷¹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti. Thomae*, 1.2., q.89, a.6 ad 2^{um}: ed. leon. Operum Sti. Thomae, 7, 148b. *Ibid.* 2.2., q.10, a.4: *ibid.* 8, 83.

²⁷² F. DE VITORIA, OP, *Relectio de eo ad quod tenetur homo cum primum venit ad usum rationis*, 2 p., n.7 y 9: ed. BAC 198 (Madrid 1960), pp.1342-1345; 1351-1359.

²⁷³ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae...*, q.89, a.6, contra argumenta Capreoli: ed.c., p.472.

q.44, a.1, dub.1-3²⁷⁵; Navarrus, in *Manuali*, c.11, n.7, ubi remittit ad *Commentaria cap. Quando*, notab.2, n.15²⁷⁶. Valde favet D. Thomas, *De veritate*, q.14, a.11 ad 1²⁷⁷.

PROBATUR, quia cognitio boni honesti in genere facilis est, et conversio in illud bonum necessaria est ut caetera opera hominis habeant finem quem habere debent. CONFIRMATUR 1^o, quia in illo instanti quasi promulgatur homini lex naturalis per ipsum naturae numen; ergo tenetur acceptare tunc eandem legem. CONFIRMATUR 2^o, quia facta sufficiente propositione fidei tenetur homo statim admittere illam; ergo facta debita propositione naturalis legis tenetur decernere illam sequi.

Nihilominus, DICO 1^o: *Non est impositum praeceptum diligendi Deum super omnia in primo instanti usus rationis*. Ita Doctores citati pro 2^a opinione. Et colligitur aperte ex Altissiodorensi, l.3, *Summae*, tr.3 fine²⁷⁸, dicente non teneri pueros credere in primo instanti usus rationis et nesciri intra quod spatium temporis teneatur credere.

PROBATUR, quia hoc praeceptum non est positivum, scilicet superadditum ipsis naturae rerum. Nullibi enim habetur scriptum. Nec est praeceptum naturale, nam contra rectam rationem videtur ad praeceptum omnium difficilium et indigens summam illustrationem mentis obligari hominem quando debilissima est ratio et libertas ut statim et quam celerrime illud exsequatur. CONFIRMATUR 1^o, quia amor Dei supernaturalis esse non potest sine actu fidei; ad hunc autem requiritur credere Deo quia Deus dixit, et ut dispositio simpliciter necessaria superponitur ad actum fidei scire quibus rationibus prudenter credendum sit Deum

Capreoli: ed.c., p.472.

²⁷⁴ F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.89, a.6, disp.2, p.2, dicto 3: Salamanca 1594, t.1, p.735b.

²⁷⁵ D. BÁÑEZ, OP, *De Fide, Spe et Charitate...*, 2.2., q.44, a.1, dub.1-3: Salamanca 1586, cols.1432-1439.

²⁷⁶ M. DE AZPILCUETA, *Manual de cofessores y penitentes*, c.11, n.7: Salamanca 1557, p.63.

²⁷⁷ THOMAS AQ., *De veritate*, q.14, a.11 ad 1: ed. Vivès, t.15 (Paris 1875), p. 39b.

²⁷⁸ GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS, *In quattuor Sententiarum libros*, 3, tr.3: Paris s/a, f.150v.

dixisse. Haec autem non possunt cito et facile fieri, sed longo tempore. Deinde, quatum ad dilectionem naturalem, CONFIRMATUR 2^o, quia vix possunt adulti nisi docti plene percipere rationes propter quas divinum praeceptum anteponebatur sit omnibus rebus nulla excepta; nedum pueri, praesertim rudes, et nutriti inter infideles; et nisi puer haec sciat saltem confuse non potest implicite velle eadem. Quare non poterit habere dilectionem Dei super omnia. [f.136v] CONFIRMATUR 3^o, quia pueros postquam pervenerint ad usum rationis opus est longo tempore docere res fidei necessarias ad salutem, ut Dei unitatem, Trinitatem, Incarnationem, futuram vitam et similia. Immo quae naturaliter cognoscenda sunt de Deo, ut ametur super omnia naturali amore a multis pueris invincibiliter ignorantur, sicut ab aliis ignoratur utrum Deus sit vel utrum pertineat ad cultum Dei virtutem sequi et vitia fugere.

Sed INQUIRES, utrum saltem puer qui Deum ut opus est, cognoverit teneatur statim se convertere in Deum. RESPONDEO non teneri, et CONFIRMO conclusionem nostram, quia peccator non tenetur sub mortale convertere se in Deum sine ulla mora temporis statim post peccatum; ergo nec puer veniens ad usum rationis etiamsi Deum cognoscat. Probo consequentiam, quia quamvis diversae rationes obligationis sint in utroque, nihilominus in peccatore non sunt minores, sed forte maiores, quia novum beneficium est non annihilari statim post peccatum, nec detrudi statim ad inferos, sed accipere tempus poenitentiae. Quod, cum accipiatur simul cum esse naturali, quod continuo conservatur, consequens est ratione beneficii non minus obligari peccatorem quam puerum in primo instanti usus rationis. Quod si respiciamus necessitatem conversionis et periculum in mora incidendi in plura peccata sive moriendi in statu damnationis, constat gravius esse periculum peccatoris, nec video rationem obligandi magis puerum.

DICO 2^o: *homo in primo instanti usus rationis non tenetur sub mortale elicere universale decretum semper sequendi honestum et fugiendi turpe. Nec tenetur universali quadam directione dirigere omnes futuras actiones ad honestum.* Ita sentiunt Adrianus, in 4 *De confessione*, tit. De remissione peccatorum post mortem, q.3

ad 3²⁷⁹; Valentia, 1.2., disp.6, q.19, puncto 3²⁸⁰. Eandem, sub dubio, tradit Henricus, *Quodlibeto* 5, q.20 ad 1²⁸¹. Colligitur aperte ex Durando, 4, d.4, q.7, a.1²⁸² et d.16, q.2, n.7²⁸³; ex Alexandro et Ricardo, citandis in dub.3; et ex Soto, citando in conclusione sequenti.

Ratione, quia quamvis si deliberet de instituenda totius vitae ratione sine dubio teneretur decernere universaliter sequi bonum honestum, nihilominus non tenetur homo deliberare de hoc in primo instanti usus rationis, cum sit res gravissima et magno consilio et iudicio indigens, et quae vix veniat in mentem post aliquos annos. [f.137] CONFIRMATUR, quia aut numquam aut rarissime occurrit puero eo tempore cogitatio de vita instituenda, et fine eligendo, ut experientia docet et ratio confirmat, quia ad primas cogitationes illius temporis pueri moventur a sensibus, et ideo prius de iis cogitat quae primum sensibus occurrunt et in quibus maxime versati sunt in pueritia.

2^a PROBATUR haec et praecedens conclusio, quia si in primo instanti usus rationis tenerentur infideles converti ad Deum sive actu caritatis sive hoc decreto universali sequeretur eadem lege teneri pueros baptizatos maiori iure, ut fatentur auctores huius praecepti. Unde praeterea sequitur omnes fideles explicare in confessione sub dubium peccatum huius conversionis omissae, quia nullus est qui recordetur se satisfacisse illi praecepto. Caietanus, hic²⁸⁴, concedit consequentiam et ait praeterea pueros baptizatos communiter prorumpere in actum fidei et caritatis in primo instanti usus rationis, nisi impediuntur per passiones. Verum

²⁷⁹ ADRIANUS VI, *Quaestiones de Sacramentis in quartum librum Sententiarum*, pro Sacramento Confessionis, De remissione peccatorum post mortem: ed.c., f.173. – No está a la letra.

²⁸⁰ G. DE VALENTIA, SI, ...*Commentarii theologici complectens omnia Primae Secundae D. Thomae Theoremata*, disp.6, q.19, puncto 3: Lyon 1603, cols.720–724.

²⁸¹ HENRICUS GOETHALS A GANDAVO, *Quodlibeto* 5, q.20 ad 1: Paris 1518 (Reprod. Lovaina 1961), f.196.

²⁸² DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 4, d.4, q.7, n.5: Amberes 1566, f.301v.

²⁸³ ID., *Ibid.*, 4, d.16, q.2, n.7: *Ibid.* f.316v; 4, d.6, q.1, n.7: *Ibid.* f.304v.

²⁸⁴ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti. Thomae*, 1.2., q.89, a.6: ed. leon. Operum Sti. Thomae, 7, 148b.

hoc nulla ratione probat et illud certum est ex vi habituum fidei et caritatis non provenire, ut pueri communiter convertantur ad Deum in primo instanti; alioqui idem contingere adultis in quolibet instanti, quia illi habitus non habent maiorem vim ut in primo instanti quam in sequentibus erumpant in suos actus. Et quod Zumel asserit, disp.2, ad confirmationem 4ⁱ argumenti²⁸⁵, non opus esse confiteri hanc omissionem in particulari sed satis esse in communi, dictum est sine fundamento contra communem doctrinam in materia de poenitentia, quae exigit singulas peccatorum species explicari in confessione et circumstantias maioris momenti.

DICO 3^o: *Puer, si Deum cognoscit tenetur sub mortali se ad Deum convertere intra aliquod tempus non admodum longum ab instanti usus rationis; si autem Deum non cognoscit tenetur saltem se convertere ad bonum honestum.*

Ita temperatam doctrinam D. Thomae, tradit Sotus, 1 *De natura et gratia*, c.22, col.2²⁸⁶, et eam sufficienter probant rationes adductae pro prima et secunda sententia. Quae, quia non obtinent maiorem vim in puero quam in quolibet peccatore post commissum mortale, ideo non probant nisi tantum hanc conclusionem, ut magis explicabitur in solutione argumentorum.

Hoc praeceptum conversionis in Deum reducitur ad praeceptum caritatis vel religionis, ut recte Sotus et alii ex citatis. Sed praeceptum conversionis ad bonum honestum quo tenetur ille qui Deum invincibiliter ignorat est quoddam diminutum praeceptum dilectionis sui ipsius in ordine ad bonum honestum quod non potest reduci ad aliquam virtutem specialem, sed continet aliquid commune omnibus virtutibus, sicut actus conversionis [f.137v] ad bonum honestum in communi; immo sicut in homine qui Deum invincibiliter ignorat amor boni honesti non habet completam rationem virtutis, ita de illo actu non est praeceptum quod habeat perfecta rationem praecepti. Insuper utrumque praeceptum non est alligatum temporis; unde non solum

²⁸⁵ F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.89, a.4, disp.2, 2^a p., ad confirm. 4ⁱ argum.: Salamanca 1594, t.1, p.740b-741a.

²⁸⁶ D. SOTO, OP, *De natura et gratia*, l.1, c.22: Salamanca 1554, f.86v.

transacto illo primo instanti usus rationis, sed etiam postquam puer peccaverit mortaliter propter moram diuturnam in conversione, adhuc tenebitur sub mortali converti, quia rationes illae obligationis naturalis, quae resultant ex divinis beneficiis et ex necessitate diligendi actiones vitae ad scopum, et vitandi pericula, omnes perseverant quamdiu non est impletum illud praeceptum, quidquid dicat Zumel, hic, disp.2, p.2²⁸⁷.

DICO 4^o: *In primo actu deliberato tenetur puer se convertere ad Deum simpliciter in quantum continetur Deus virtualiter in quocumque honesto fine intento*, ut probatum est q.18, a.4, dub.2. Verumtamen quia hoc praeceptum non obligat nisi sub veniali et quia quantum ad hoc nihil peculiare habet primus actus deliberatus quod non habeant reliqui actus deliberati, ideo ad difficultatem huius articuli nihil interest praeceptum huius conversionis, nec de illa loquitur D. Thomas.

Ad argumenta primae sententiae RESPONDEO ad primum Instans: 1^o Usus rationis non est commodum tempus ut obliget praeceptum caritatis propter rationes dictas; videtur autem obligare quando tanta lux rationis naturalis et doctrinae aut interioris inspirationis effulserit puero ut sit illi non admodum difficile conari ad amorem Dei super omnia; tunc etiam tenebitur puer gratias agere pro beneficiis creationis, si haec obligatio venerit in mentem. Unde constat solutio confirmationis.

Ad 2 RESPONDEO satis esse eam intentionem ultimi finis quae in quolibet honesto actu virtualiter includitur. Alia vero intentio amandi Deum super omnia aut sequendi bonum honestum non obligat nisi sub tempore et modo et aliis circumstantiis supra explicatis.

Ad 3 RESPONDEO quando non est grave periculum in mora et praesertim post breve tempus commodius poterit consulere, nullus tenetur in quam brevissimo tempore potuerit consulere iis quorum gerit curam ex officio, sed satis est si nec diu differat nec occasiones oblatas abire patiatur; et eodem modo obligat puerum praeceptum conversionis in Deum.

²⁸⁷ No conocemos este comentario.

Ad 4 eodem modo RESPONDEO posse votum quandoque differri per aliquos dies sine culpa mortali, praesertim si postea commodius implebitur, dummodo votum non fuerit alligatum tempori.

[f.138] Ad argumenta secundae sententiae RESPONDEO non esse facilem conversionem, ut probatum est. Et licet foret facilis non est necessaria ut caetera opera habeant finem debitum quem possunt habere, licet non praecesserit conversio ad bonum honestum in communi, dummodo ametur ut finis aliquod honestum in particulari, ut constat ex conclusione 4^a.

Ad utramque confirmationem RESPONDEO: si non semper proponitur puero in primo instanti usus rationis illa lex conversionis in Deum vel in bonum honestum in communi, sed quandoque proponitur tantum obligatio alicuius honesti in particulari ut honorando parentes. RESPONDEO 2^o, etiamsi proponeretur semper haec lex, non proponeretur ut explenda quam primum, sed aliquo temporis intervallo, sicut etiam per breve tempus post sufficienter propositam fidem differre illius assensum et conversionem ad deum non erit peccatum, si nullum sit periculum in mora.

Dubitatur 2^o

**Utrum protinus et sine mora temporis
illustratio fidei et reliqua auxilia
requisita ad iustificationem dentur
cuicumque puero non baptizato, si per vires naturae
decreverit sequi honestatem et fugere turpe**

Suppono 1^o iam esse certum neminem ratione utentem iustificari ante baptismum sine actu supernaturali fidei et amoris Dei vel contritionis.

2^o: Hi omnes actus esse debent non solum propter obiectum formale supernaturale, sed etiam intrinsece ex modo tendendi supernaturales.

3^o. Inde sequitur actus immediate disponentes ad iustificationem non posse fieri solis naturae viribus sine supernaturali auxilio, et actum fidei non posse elici nisi vel praedicator externus vel Deus interius proponat puero obiectum supernaturale quod credere debeat.

4^o sequitur puerum qui nutritus inter barbaros nihil umquam audivit de fide Christi, et veniens ad usum rationis habet actum quo deliberet in communi sequi honestum et fugere turpe, et honorare Deum si forte eum cognoscit, per tales actus non se disponere immediate ad recipiendam gratiam.

5^o. Igitur praesens quaestio est utrum saltem praedicto actu naturali posito semper et cuicumque puero infallibiliter dentur statim auxilia supernaturalia illustrationis fidei vel praedicatoris et reliqua necessaria ad iustificationem ita ut infallibiliter sequatur iustificatio.

6^o. Observa consulto in proponenda quaestione fugisse me has voces: *dispositio, meritum, sive de condigno sive de congruo, promissio, lex, sive iustitiae sive misericordiae*, quia illud inquirō praesertim utrum de facto ita contingat, ut posita praedicta conversione naturali ad bonum honestum, semper et protinus adsint omnia auxilia gratiae et ipsa gratia iusti[f.138v]ficans.

Sunt tamen aliae quaestiones huic valde affines cuiusmodi sunt: <an> auxilia supernaturalia dentur ex mera misericordia sine ulla iustitia; utrum dentur interveniente aliqua lege Dei; et utrum interveniente promissione Dei ad homines; utrum illa conversio naturalis dicenda sit aliquomodo dispositio ad auxilia supernaturalia, licet inferioris ordinis sit; utrum eadem dispositio sit meritoria de congruo auxiliorum supernaturaliu. De his nihil dicant nisi quod opus fuerit ad puncti propositi decissionem.

7^o. Praecipue disputo de celeritate aut mora temporis scilicet, utrum protinus vel post temporis intervallum adstent illa auxilia supernaturalia.

Prima sententia est eiusmodi: Si puer in primo instanti usus rationis moraliter sumpto ignoret invincibiliter Deum, et tamen apud se statuatur viviturum se esse secundum rationem rectam ita ut omne malum fugiat, ille puer statim illustrabitur a Deo sive interna revelatione sive per externum praedicatorem et movebitur

efficaciter ut habeat omnem dispositionem requisitam ad gratiam sanctificantem. Insuper haec illustratio non est miraculosa, sed regularis divinae providentiae lex. Ita docet unus Zumel, hic, q.89, a.6, disp.2, praesertim dicto 4, § Sed observa, et disp.3, p.2, et disp.4, praesertim dicto 4; et latius in secundo tomo *De gratia*, q.113, a.4, disp.2, in explicatione maiori, conclusione 4 et 5²⁸⁸. Quod si in eisdem locis aliquando Zumel ita loquitur ut videatur oppositum sentire non mirum est, cum alibi ex professo doceat oppositum, ut dicitur infra in primo fundamento nostrae conclusionis. Eandem sententiam videtur admittere ut probabilem Medina, hic, in prima solutione argumenti 2²⁸⁹; Capreolus, quamvis ut probabiliorem videtur adiungere solutionem secundam, de qua infra, in dubio 3.

Primum fundamentum huius sententiae est auctoritas D. Thomae, in hoc a.6; sed manifestius *De veritate*, q.14, a.11 ad 1, cuius verba sunt: Si puer nutritus in sylvis ductum rationis naturalis sequatur in appetitu boni et fuga mali, certissime tenendum est quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt necessaria ad credendum vel aliquem fidei praedcatorem ad eum dirigiret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Actuum 10, [1-23]; et eandem doctrinam repetit ad 2²⁹⁰.

Secundum fundamentum est quia aliter non potest defendi sententia D. Thomae de impossibilitate venialis cum solo originali; si enim puer veniens ad usum rationis impleat praeceptum naturale conversionis ad bonum honestum et non adsit statim illustratio supernaturalis, sed post moram temporis, in illa poterit venialiter peccare antequam deleatur originale. Confirmatur, [f.139] quia non videtur asserenda qua servetur immaculatus a veniali puer inimicus Dei idque de lege communi cum iusti et amici Dei non fruuntur tam excelsa protectione a venialibus.

²⁸⁸ F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.89, 2^a p., dicto 4, § Sed observa: Salamanca 1594, t.1, p.738b. Id. ibid., disp.4, dicto 4: ibid. p.754. 1.2., q.113, a.4, disp.2, "Maior explicatur", concl. 4 y 5: ibid., t.2, pp.589-593.

²⁸⁹ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae...*, q.89, a.6, 2^a concl.: ed.c., p.472b.

²⁹⁰ THOMAS AQ., *De veritate*, q.14, a.11 ad 1: ed. Vivès, t.15 (Paris 1875), p.39.

Tertium, qui alioqui puer ille esset in statu in quo non posset salvari, siquidem postquam fecit totum quod in se est adhuc non habet auxilia supernaturalia quibus salutem consequi posset. Confirmatur 1^o, quia Deus omnibus confert media quibus possint, si velint, obtinere salutem. Confirmatur 2^o, quia Theologi docent peccatorem posse reddere in gratiam Dei quocumque temporis momento.

Quartum, quia quicumque servat praecepta Dei potest obtinere salutem secundum illud Mt 19, [17]: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; sed ille puer in eo instanti implevit praeceptum quo solo tenebatur; ergo tunc habet sufficientia auxilia ut salutem consequatur.

Quintum est celebre axioma Theologorum: *Faciemti quod in se est Deus non denegat gratiam*; sed ille puer facit totum quod est in se est; ergo.

Nihilominus sit CONCLUSIO: *Nulla infallibilitas est accipiendi illustrationem fidei et reliqua auxilia necessaria ad salutem in eodem momento quo expletur praeceptum conversionis ad bonum honestum vel ad Deum, sed ordo divinae providentiae permitti intercedere moram temporis ante illustrationem fidei*. Haec conclusio est omnium Theologorum etiam eorum qui oppositum dicunt in prima sententia, quod constabit ex 1^o et 2^o fundamento.

Primum fundamentum huius conclusionis est, quia facere totum quod in nobis est ex solis viribus naturae non est dispositio nec de condigno nec de congruo ut infallibiliter accipiamus gratiam, sed illud axioma Theologorum: *Faciemti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, intelligitur de illo qui cooperatur cum auxilio supernaturali et elicit actum supernaturalem. Ita docet aperte D. Thomas, 1.2., q.112, a.3 c et ad 1, et in a.2, et q.109, a.6 ad 2²⁹¹. Idem docet D. Antoninus, 4 p., tit.9, c.5 § 4²⁹²; et Capreolus, 2, d.28, q.1, a.1, concl.5, et a.3 fine²⁹³; Conradus,

²⁹¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.112, a.3c y ad 1: ed leon. 7, 325; *ibid.*, q.109, a.6 ad 2: ib. 7, 300b.

²⁹² ANTONINUS, *Summa*, 4 p., tit.9, c.5, § 4: Lyon 1529, f.84.

²⁹³ J. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae divi Thomae Aquinatis*, in 2, d.28, q.1, a.1, concl.5: ed. Turin, 1903, t.4, p.286s. *Ibid.*, a.3, § 5 Ad argum. Durandi, ad

1.2., q.109, a.6 ad 2²⁹⁴; ubi Caietanus expresius hoc docet explicans sententiam D. Thomae²⁹⁵. Imo, tam longe distat Caietanus a prima sententia ut etiam facienti quod in se ut cooperetur supernaturalibus auxiliis et habeat supernaturalem actum contritionis non statim concedat gratiam, ut constat in *Opusculo 4, De contritione*, q.1²⁹⁶. Et quamvis propterea merito impugnetur a theologis, caeterum inde constat Caietanum non statim in eodem temporis momento concessurum esse gratiam puero facienti quod in se est ex solis viribus naturae ante cognitionem Dei.

Praeterea, D. Bonaventura, 2, d.28, a.2, tota q.1²⁹⁷ et praeterea in solutione cuiusdam argumenti, [f.139v] aperte docet etiamsi homo faciat totum quod in se est per cognitionem et amorem naturalem circa prosecutionem boni et rectitudinis non dari illi gratiam. Nihilominus homines in vitae discursu excitare a Deo supernaturalibus auxiliis ut possint obtinere gratiam. Eandem opinionem verbis oscurioribus docet Albertus, 2 p., *Summae*, q.100, membr.1²⁹⁸; et clarius Marsilius, 2, q.18, a.3, concl.3 et post a.4 in solutione tertii argumenti²⁹⁹.

Soto, *De natura et gratia*, 1.2, c.3³⁰⁰ hanc conclusionem docet: Nemo facultate humana potest sufficienter se ad gratiam disponere, nisi speciali auxilio subnixus ea dispositione quam infallibiliter et certa lege sequatur gratia, etiamsi illa dispositio non appelletur meritum non solum condigni, sed nec congrui. Et

primum: ibid. p.315s.

²⁹⁴ CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio commentaria prima...*, q.109, a.6 ad 2: ed. c., p.911a.

²⁹⁵ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti. Thomae*, 1.2., q.109, a.6: ed. leon. Operum Sti. Thomae, 7, 300.

²⁹⁶ THOMAS A VIO, *Opuscula*, t.1, tr.17, q.1: Lyon 1585, p.105s. Véase también Opusc. 18, *De Confessione*, q.4: ibid. p.109s.

²⁹⁷ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi*, 2, d.28, a.2, q.1: ed. Operum, t.2 (Quaracchi 1885), p.700ss.

²⁹⁸ ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., q.100, mem.1: ed. Vivès Operum, t.33 (Paris 1895) p.246.

²⁹⁹ MARSILIUS DE INGHEN, *Quaestiones super quatuor libros Sententiarum*, 2, q.18, a.3, concl.3 y a.4 in sol. 3^a argum.: Estrasburgo 1501, f.299v y 301v.

³⁰⁰ D. SOTO, OP, *De natura et gratia*, 1.2, c.3: Salamanca 1554, f.98v.

ex contextu evidens est illum loqui non de dispositione immediata et ultima gratiae iustificantis, sed de remota. Et ibi optime explicat praedictam sententiam D. Thomae quod facienti quod in se est ex viribus naturae solius non detur infallibiliter gratia. Et ait hoc non teneri a D. Thoma ut opinionem, sed tanquam fidem Christi Domini dicenti: (Jn 6, [44]) *Nemo potest venire ad Me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*

Eiusdem sententiae videtur esse Vega, *De iustificatione*, q.7, prop.1 et 2³⁰¹, et praecipue in 5 prop. in solutione secundi argumenti contra illam³⁰², ubi docet infideles per opera naturalia moraliter bona non mereri de congruo illustrationem fidei; et 1.8 *In Tridentinum*, c.11, ait: Cum Pelagio aliqua ex parte consentire qui dicunt peccatores ex solis viribus naturalibus habere dispositiones sufficientes ad consequendam gratiam iustificationis; unde illud axioma *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam* accipit quasi dictum de cooperante cum auxilio supernaturali, 1.13 *In Tridentinum*, c.23 prope initium³⁰³.

Bellarminus, tomo 3 *Controversiarum*, 3: *De gratia et libero arbitrio*, l.6, c.6³⁰⁴, quasi pelagianam haeresim refutat opinionem eorum qui dicunt facienti quod in se est ex solis naturae viribus dari speciale auxilium gratiae quo tandem ad salutem perveniat. Medina, 1.2., q.109, a.6 versus finem, § Sed dicet theologus³⁰⁵ ait non esse legem infallibilem de conferenda gratia homini facienti quod in se est ex viribus naturae. Denique Zumel, qui unus docuit opinionem primam, in secundo tomo 1.2., q.109, articulo ultimo, disp.2 versus finem³⁰⁶, et magis ex professo

³⁰¹ A. VEGA, *Opusculum non solum de iustificatione, sed etiam de gratia, fide, operibus et meritis*, q.7, prop.1 y 2: Colonia 1572, p.814b; p.186a.

³⁰² A. VEGA, *Opusculum non solum de iustificatione, sed etiam de gratia, fide, operibus et meritis*, q.7, prop.5 y § Ad hoc argumentum: Colonia 1572, p.821a y 823b.

³⁰³ A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa*, 1.8, c.11 y 1.13, c.23: Colonia 1572, p.195 y 551b.

³⁰⁴ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiae christianae fidei*, t.3, Prima controversia principalis, l.6, c.6: Ingstad 1593, col.890-891 A-C.

³⁰⁵ B. DE MEDINA, *OP, Expositio in primam secundae...*, q.109, a.6 ad 3, tertio dico: ed.c., p.596a.

³⁰⁶ F. ZUMEL, *OM, In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.109, a.10, disp.2 ad 6: ed.c., t.2, p.207b.

q.112, a.3, disp.1, concl.1 et 4³⁰⁷, probat non dari infallibiliter auxilia supernaturalia homini facienti quod in se est ex viribus naturae.

Eidem opinioni a fortiori favent Gregorius, 2, d.28, a.1, § Ex his infero³⁰⁸ et [f.140] Maior, eadem distinctione, q.1, post quartam conclusionem³⁰⁹, qui ut magis distaret ab eorum opinione qui dicunt per vires naturae se disponere de congruo ad recipiendum auxilium supernaturale (quam opinionem impugnant quasi haeresim Pelagii) asserunt hominem suis naturalibus viribus sine auxilio gratiae non posse elicere actum moraliter bonum; quod, quamvis falsum sit, verum est illud quod intendunt defendere. Favet etiam Altissiodorensis, l.3 *Summae*, tr.2, c.11, q.5³¹⁰, ubi quamvis universaliter affirmat hanc esse consequentiam: «Hic homo facit quod in se est; ergo Deus dat ei gratiam», sed tamen prima et tertia ratio illius indicant eum loqui de faciente quod in se est cum auxilio supernaturali, siquidem loquitur de illo qui aperit pulsanti Deo et implet illud praeceptum: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (Zac 1, 3)

Hoc primum fundamentum probatur quatuor rationibus: Prima est, quia sacra Scriptura indicat, et Concilia et Patres aperte docent, initium iustificationis nostrae non esse a natura, sed a gratia Dei; foret autem initium iustificationis ex viribus naturae si ex aliqua actione naturali infallibiliter consequerentur auxilia supernaturalia et gratiam.

Secunda ratio pro eodem fundamento est, quia gratia et quodlibet auxilium supernaturale sunt altioris ordinis quam ut infallibilem connexionem habere debeant cum dispositione naturali.

³⁰⁷ F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.112, a.3, disp.1, concl.1 y 4: ed.c., t.2, p. 438 y 440.

³⁰⁸ GREGORIUS DE ARIMINO, *In secundum Sententiarum*, dist. 27 y 28, q.1, a.1, § *Ex his infero*: Paris, s/a, *In secundum*, fol. 96.

³⁰⁹ J. MAIOR, *In secundum librum Sententiarum*, d.28, q.1: Paris 1519, f.122a.

³¹⁰ GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS, *In quattuor Sententiarum libros*, 3, tr.2, c.11, q.5: Paris s/a, f.136v.

Tertia ratio est, quia ex nullo testimonio sacrae Scripturae colligi potest lex de gratia infallibiliter danda nisi propter actionem supernaturalem.

Quarta ratio, quia supposito quod est danda gratia infallibiliter eliciendi unicum actum naturalem conversionis ad bonum, sed diu perseveranti in bonis naturalibus, ut ostendetur in fundamento secundo, hoc inquam supposito nullius utilitatis erit lex de conferendo auxilio supernaturali facienti totum quod in se est, quia omnibus hominibus conferuntur plura auxilia supernaturalia excitantia antequam faciant totum quod in se est in longo vitae decursu.

Hae quatuor rationes si muniri deberent auctoritatibus sacrae Scripturae et Patrum, et a calumniis defendi, indigerent longiore disputatione ex materia de gratia. Videantur interim Doctores citati, praesertim Soto, 2 *De natura et gratia*, c.3³¹¹; D. Thomas³¹², Caietanus³¹³ et Medina, 1.2., q.109, a.6³¹⁴; Zumel, q.112, a.3³¹⁵.

Secundum fundamentum nostrae conclusionis est, quia quamvis falsum esset fundamentum primum et vera esset sententia contraria Doctorum asserentium homini facienti quod in se est ex solis viribus naturae infallibiliter conferri gratiam, nihilominus dicendum esset non protinus dari gratiam cum primum homo elicit actum naturalem conversionis in Deum vel in bonum honestum, sed postquam aliquo temporis decursu servat praecepta et [f.140v] tentationes vincit et exequitur opera naturaliter bona. Huius sententiae est Alexander, 3 p., q.69, membr.3, a.5c et ad ultimum, et 2 p., q.129, membr.8, casu 1^o³¹⁶; et Gabriel, 2, d.22, q.2, a.3,

³¹¹ D. SOTO, OP, *De natura et gratia*, 1.2, c.3: Salamanca 1554, ff.97v-104v.

³¹² Véase nota 291.

³¹³ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti. Thomae*, 1.2., q.109, a.6: ed. leon. Operum Sti. Thomae, 7, 300s.

³¹⁴ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae...*, q.109, a.6, Tertia quaestio: ed.c., pp.593-596.

³¹⁵ F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.112, a.3: Salamanca 1594, t.2, pp. 437-443.

³¹⁶ ALEXANDER ALENSIS, *Summa Theologica*, pars 3^a, q.69, mem.5, a.1: ed.1516, fol.247vb-288a; pars 2^a, q.129, mem.8, casu 1^o: ibid. f.280c.

et d.28, q.un., a.2, concl.1³¹⁷, qui Doctores necessario supponunt moram temporis, quia exigunt a puero nutrito in sylvis ut faciat quod in se est naturaliter cognoscendo Deum et iudicium futurum, petendo a Deo opem et illustrationem fidei; quae omnia non possunt in mentem pueri venire naturaliter nisi post longum tempus. Eiusdem sententiae videtur esse Ricardus, 2, d.28, a.1, q.2³¹⁸, dicens liberum arbitrium per solas vires naturae ad gratiam se praeparare dispositione remota et indirecta, non vero proxima et directa; et actus naturales non dicerentur remota et indirecta dispositio si ad primum decretum universale sequendi bonum illico sequerentur infallibiliter non solum auxilia necessaria ad iustificationem, sed etiam gratia iustificans. Idemque magis constat ex illius contextus..

Ricardus Tapper, a.7, *Contra Lutherum*, pag.248³¹⁹, ex professo defendit homini facienti quod in se est ex viribus naturae adesse infallibiliter auxilia supernaturalia. Caeterum, manifeste in contextu loquitur de toto vitae decursu, unde supponit non in primo instanti usus rationis dandam esse gratiam facienti quod in se est.

Driedo, libro *De concordia liberi arbitrii cum praedestinatione*, 2 p., c.ult., § Hic iam dixeris, pag.193 et sequenti, expresse asserit parvulis nondum baptizatis non statim adesse auxilium supernaturale et iustificationem cum primum faciunt quod in se est, quamvis in pueris baptizatis oppositum existimet³²⁰. Durandus, quamvis nimium tribuat viribus naturae absolute dicens opera moraliter bona sine supernaturali auxilio disponere ad gratiam, ut constat 2, d.28, q.5³²¹; nihilominus in 4,

³¹⁷ G. BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, 2, d.22, q.2, a.3, dub.: Tubinga 1984, p.460s; Id., *Ibid.* d.28, q. un., a.2, concl.1: *Ibid.* p.531.

³¹⁸ RICARDUS A MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi*, 2, d.28, a.1, q.2: Brixiae 1591, p.356.

³¹⁹ R. TAPPER, *Explicationis articulorum... studii lovaniensis, circa dogmata ecclesiastica ab annis triginta quatuor controversa, una cum responsione ad argumenta adversariorum*, a.7: Lovaina 1565, t.1, p.248.

³²⁰ J. DRIEDO, *De concordia liberi arbitrii cum praedestinatione*, 2 p., c.3, § Hic iam si dixeris: (t.3 Operum) Lovaina 1566, f.50v C - 51.

³²¹ DURANDUS A S. PORTIANO, *In Sent. Theolog. Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*, 2, d.28, q.5: ed.c., f.180.

d.4, q.7, n^o 5, ita loquitur: «Nullus dicit quod inspiratio fiat semper homini statim quando venit ad annos discretionis, sed sufficit si fiat ei post moram temporis, si vivat secundum dictamen rectae rationis naturalis»³²².

Henricus, *Quodlibeto* 5, q.20 ad 1³²³, dicit quod statim aut cito dabitur auxilium supernaturale excitans peccatori qui per vires naturales bene se habuit in tentatione. Et postea subdit servata proportione dicendum esse idem de homine qui existit in solo originali; itaque non existimat semper dari statim istud auxilium, sed dicendum cito dari, si no detur statim.

Vitoria, in *Relectione De puero parveniente ad usum rationis*, p.3, n^o 14, fol. penultimo³²⁴, dicit non esse in eodem tempore illustrationem fidei et conversionem ad Deum ut ad finem naturalesm, sed hac esse priorem tempore. Cano, 2 p. *Relectionis De sacramentis*, ad 1 argumentum contra 1 et 2 conclusionem, in solutione 1 et 2³²⁵, quamvis obscure loquatur, vere tamen docet non dari illustrationem fidei protinus post conversionem ad bonum honestum, sed [f.141] post moram temporis. Eandem doctrinam sequitur Corduba, lib.2, *Quaestione de ignorantia*, q.5 ad 4 in utraque solutione³²⁶. Medina, hac q.89, a.6 ad 2³²⁷; et consonat in q.96, a.2, dub. ultimo ad 1 et ad 5, ubi loquitur de diuturna legis observatione ut de dispositione ad illustrationem fidei.

Molina, in *Concordia liberi arbitrii cum praedestinatione*, a.13, disp.9 et 10³²⁸; et Valentia, 2.2., disp.8, q.4, puncto 2 sub

³²² Id., *ibid.*, 4, d.4, q.7, n.5: Ib., f.301v.

³²³ Véase la nota 281.

³²⁴ F. DE VITORIA, OP, *Relectio de eo ad quod tenetur homo cum primum venit ad usum rationis*, p.3, n.14: ed.c., pp.1370-1375.

³²⁵ M. CANO, OP, *Relectio de Sacramentis*, p.2: ed. Serry (Madrid 1770), t.2 Operum, pp.407ss.

³²⁶ ANTONIO DE CÓRDOBA, OFM, *libro II, De ignorantia*, q.5 ad 4^{um} argum.: Venecia, 1569, p.39.

³²⁷ B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae...*, q.89, a.6 ad 2^{um} argumentum: ed.c., p.472.

³²⁸ L. DE MOLINA, SI, *Liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione et reprobatione Concordia*, p. 1, disp.9 et 10: ed. J. Rabeneck, Madrid-Oña 1953, pp.43-55.

finem³²⁹; et praesertim disp.2, q.6, puncto 5, § Sed tamen, eodem modo docent «facienti quod in se est» ex viribus naturae conferri auxilium supernaturale ad salutem necessarium. Verumtamen ex eorum contextu constat illos non intelligere unicum actum conversionis in Deum vel in bonum honestum: nam Valentia dicit omnibus conferri auxilium supernaturale antequam faciant totum quod in se est. Et idem doctor et Molina petunt plerasque actiones circa Deum agnoscendum, colendum et eius praecepta observanda, quae requirunt moram temporis. Quare, quamvis doctores nuper citati pro 2^o fundamento dissentiant a doctoribus adductis pro 1^o circa infallibilitatem consequentiae qua danda sit gratia positus naturalibus operibus bonis, nihilominus quantum attinet ad conclusionem nostram, omnes doctores conspirant.

Nunc ratione probatur idem fundamentum 2^{um}, quia si aliquod naturale bonum debet esse dispositio congrua infallibiliter inferens iustificationem, illud debet esse aliquid magnum et excellens in genere boni moralis; hoc enim quasi supremum infimi, scilicet naturae, attingeret aliquomodo infimum supremi, scilicet auxilium ad fidem supenaturalem; at vero conversio ad bonum honestum qua puer decernit sequi bonum et fugere malum antequam experiatur difficultates vincendi tentationes et vehementes inclinationes, et antequam sciat latitudinem boni honesti qua obligat ad res multiplices et quam rigide servandum sit, et antequam Deum cognoscat, haec inquam conversio per unicum actum, licet sit bona moraliter, nihilominus est in eo genere valde imperfecta, ac proinde indigna ut ex lege habeat infallibilem connexionem cum gratia, quamvis ea lex non esset iustitiae, sed mere misericordiae, ac proindi congruentior providentia est independenter a tali dispositione dare auxilia supernaturalia quam legem statuere de infallibiliter dandis auxiliis posito illo unico actu. Confirmatur, quia si praeceptum illud conversionis in bonum puero non occurrit in instanti usus rationis est impossibilis illius

³²⁹ G.DE VALENCIA, SI, *Commentarii theologici*, t.2, complectens omnia primae secundae D. Thomae Theoremata, disp. 8, q.4, puncto 2 y disp.8, q.6, p.4, § Sed tamen: Lyon 1603, col. 1048 y 1183 B.

adimpletio. Si autem occurrit est facillima propter rationes dictas, et ideo expectari debet tempus quo puer ille tentationibus aliquibus resistat et superata difficultate se contineat in officio.

[f.141v] Tertium fundamentum conclusionis est, quia quamvis contra omnes doctores citatos in 1^o et 2^o fundamento daretur infallibiliter auxilium supernaturale eo temporis momento quo primum puer habet decretum sequendi bonum et fugiendi malum ex viribus naturae, adhuc illud auxilium dabuisset dari secundum communem leges Dei secundum quas plerisque hominibus Deus confert supernaturales inspirationes; qui tamen de facto non convertuntur, sed reluctantur gratia. Nec est ulla auctoritas sacrae Scripturae aut Theologorum aut ratio solida propter quam cuiusque puero debeat dari auxilium tam copiosum et efficax ut infallibiliter convertatur. Confirmatur, quia quamvis infallibiliter sequeretur conversio, nihilominus aliqua mora temporis requirerent de lege ordinaria actus fidei, spei et caritatis, et praesertim motiva fidei in puero nunc primo aperiente oculos mentis.

Quartum fundamentum: quia haec lex conferendi infallibiliter gratiam iustificantem puero cum primum decernit sequi bonum et fugere malum, frustra prorsus et inutiliter fuisset stabilita, quia nunquam sortitur effectum; nullum enim legimus vel audivimus ex tam innumerabili multitudine infidelium puerorum qui divinitus acceperit illustrationem fidei circa septenium. Quod si aliquis eam accepisset vix putuisset illius oblivisci propter magnam admirationem qua excitaret animum, ut vehementius adverteret, nec posset puer se continere quin rem tam novam parentibus narraret. Et inde sequeretur desiderium quaerendi baptismum et plenioram notitiam circa fidem. Cum ergo praedicatores qui regiones infidelium perlustrant nullus adultorum aut puerorum narret illustrationem eiusmodi sibi aut suo filio factam circa septenium, nec habeat ullam notitiam Trinitatis aut Incarnationis ante doctrinam hominum, signum est non esse talem legem. Omnia haec confirmantur ex solutione argumentorum primae sententiae.

Ad primum RESPONDEO: D. Thomas sententiam mutavit quam docuerat in 2, d.[sic] et *De veritate*³³⁰, ut notavit Sotus et quidam alii ex discipulis; et evidenter constat ex locis D. Thomae adductis in fundamento primo. Praeterea, exemplum illud quod adducit de Petro misso ad Cornelium, non probat nisi faciente quod in se est cum auxilio supernaturali, quia iam ille Cornelius acceptus erat Deo per bona opera, quod necessario fidem supponit, ut optime notavit D. Thomas, 2.2., q.10, a.4 fine³³¹. Eunuchus ille ad quem missus est Philippus, et quaecumque alia exempla, eandem habent solutionem.

[f.142] Ad 2 RESPONDEO negando antecedens; etenim alia probabili via defendi potest illa opinio, si tenenda sit. Sed de hoc in dubio 3.

Ad tertium RESPONDEO 1^o retorquendo argumentum contra adversarios. Etenim quod sacra Scriptura et Theologi asserunt quocumque momento parata esse auxilia sufficientia, et hominem quocumque momento temporis posse venire in gratiam Dei non magis dicitur de primo instanti usus rationis quam de quolibet alio tempore post commissa peccata mortalia; sed nullus dicet quemlibet infidelem post commissa plurima et gravissima peccata si habeat tempore brevissimo decretum absolutum fugiendi malum et sequendi bonum solis viribus naturae elicitum eo ipso momento temporis illuminari quoad fidem et infallibiliter consequi gratiam; ergo nec opus est hoc dicere in primo instanti usus rationis in puero qui vere exosus est Deo propter originale peccatum, quamvis nullum actuale commiserit. RESPONDEO 2^o: quocumque temporis momento possibilem esse nobis salutem in hoc sendu, quod quicumque ex intentione et serio animum adiecerit ad eliciendos actus fidei, spei poenitentiae et caritatis, qui necessarii sunt ad iustificationem, habebit auxilium sibi a Deo paratum. Verumtamen contingit plures homines non posse consequi salutem in aliquo tempore, quia somno sopiti sunt vel frenesi aut ebrietate

³³⁰ THOMAS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, d.42, q.1 ad 7: ed Vivès, t.8 (Paris 1873), p.557b. Véase también la nota 340.

³³¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.10, a.4: ed. leon., 8, 82b.

tenentur vel vehementi aliqua passione amoris aut doloris rapiuntur ut de terrenis cogitent et oblisviscantur propriae salutis vel quia nihil audierunt de rebus necessariis ad salutem, et propterea non possunt animum applicare ad illas credendas et exequendas. Hoc autem per accidens est respectu universalis providentiae divinae de auxiliis sufficientibus, sicut per accidens est innumeros pueros intra vel extra maternos uteros decedere sine baptismo; et sicut per accidens est animalium aliqua interire prae fame quamvis Dei providentia universalis sufficienter providerit cibum: de quo non est locus disputandi in praesenti, sed ubi de auxiliis. Et disputatio quaecumque erit de bene intelligendo modo loquendi, potius quam de re.

Ad quartum RESPONDEO: Non sufficit observatio unica praecepti naturalis ut quis infallibiliter consequatur salutem, sed necessarium est cognoscere prius praecepta supernaturalia per fidem ut cognoscebat ille ad quem loquebatur Dominus, Mt 19, [17]. Et deinde requiritur ea implere.

Ad quintum constant solutiones ex fundamento 1, et 2, et 3.

[f.142v]

Dubitatur 3

Utrum pueri nondum ab originali peccato liberati, primum peccatum contingat esse veniale

Huius quaestionis occasione aliqui disputant in praesenti utrum puer in primo instanti usus rationis possit peccare. De quo videri potest Vitoria, *Relectione de perveniente ad usum rationis*, p.2, n.10³³²; et Zumel³³³, in hoc articulo. Occasionem dubitandi afferunt Adamus et angeli, qui in primo instanti suae creationis secundum probabiliorem sententiam non potuerunt

³³² F. DE VITORIA, *Relectio de eo quod tenetur homo cum primum venit ad usum rationis*, p.2, n.10: ed.c., p.1356

³³³ F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.89, a.6, disp.3, 2^a pars: Salamanca 1594, t.2, pp.744-750.

peccare. Sed quidquid sit de angelis, de Adamo aut de puero in primo instanti usus rationis, illud evidens est quod homines peccant postquam perveniunt ad usum rationis. Et cum illorum peccata non fuerint ab aeterno, necessarium est dari aliquod peccatum ante quod non praecesserit aliud peccatum in eodem homine. De hoc igitur inquirimus, utrum possit esse veniale in praedicto puero qui adhuc manet in originali.

Negativa sententia est D. Thomae hic, et *De veritate*, q.14, a.11 ad 1, et q.24, a.12 ad 2, et q.28, a.3 ad 4³³⁴; et *De malo*, q.5, a.2 et q.7, a.10 ad 8³³⁵, et alibi saepe. D. Antoninus, 1 p., tit.13, c.2, § 3, fine, et tit.10, c.1, § 1³³⁶. Capreolus, 4, d.16, q.1, a.3 ad 2^{um} argumentum³³⁷. Vitoria, in *Relectione de puero veniente ad usum rationis*, p.2³³⁸. Canus, in secunda parte *Relectionis de sacramentis*, ad 1^{um} argumentum contra 1^{am} et 2^{am} conclusionem³³⁹. Caietanus³⁴⁰ et Medina³⁴¹, hic. Ubi Zumel, disp.3³⁴². Ledesma, l.4, q.28, a.4 prob.³⁴³.

Probat D. Thomas 1^o a posteriori, quia si daretur peccatum veniale cum solo originali posset aliquis obire in eisdem peccatis haerens ac proinde puniendus esset poena sensus pro veniali, et tamen nullus esset locus in quo puniretur. Confirmatur, quia inauditum videtur apud sanctos Patres aliquem damnari ad infer-

³³⁴ THOMAS AQ., *De veritate*, q.14, a.11 ad 1: ed. Vivès, t.15 (Paris 1875) p.39; q.24, a.12 ad 2: ibid. 229; y q.28, a.3 ad 4: ibid. 320a.

³³⁵ THOMAS AQ., *De malo*, q.5, a.2 y q.7, a.10 ad 8: ed. leon. 23, 134 y 184.

³³⁶ ANTONINUS, *Summa*, 1 p., tit.13, c.2, § 3: t.1: Lyon 1529, f.113a; *Ib.*, tit.10, c.1, § 1: *Ib.*, f.102a.

³³⁷ J. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae divi Thomae Aquinatis*, in 4, d.16, q.1, a.3, ad 2^{um} argumentum: ed. Turin, t.6 (1906), p.345a.

³³⁸ F. DE VITORIA, *Relectio de eo quod tenetur homo cum primum venit ad usum rationis*, p.2, n.11: ed.c., p.1361.

³³⁹ M. CANO, OP, *Relectio de Sacramentis*, 2 p.,...: ed.c. nota 331.

³⁴⁰ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti. Thomae*, 1.2., q.89, a.6: ed. leon. Operum Sti. Thomae, 7, 147s.

³⁴¹ B. DE MEDINA, *Expositio in primam secundae...* q.89, a.6: ed.c., pp.470-476.

³⁴² Véase nota 333.

³⁴³ M. DE LEDESMA, *Prima Quarti*, q.28, a.4: Coimbra 1555, p.177s.

num pro solo veniali et in aeternum. Confirmatur 2^o, quia illud veniale non potest deleri sine peccato originali, quia non potest deleri nisi praesupposita gratia et amicitia ratione cuius condonetur et acceptetur culpae satisfactio, ut communiter Doctores docent 4, d.16 et 3 p., q.87, a.4.

2^o PROBAT a priori, quia in primo instanti usus rationis tenetur puer se convertere ad Deum: quod si faciat iustificabitur, si praetermittat peccabit mortaliter. Hoc fundamentum explicat Caietanus³⁴⁴ fuse et fere ad haec reducitur eius explicatio: 1^o perveniente ad usum rationis Deus infundit auxilia quibus ad Deum convertatur; deinde, in primo instanti usus rationis, primum quod occurrit homini est deliberare de se ipso. Huius autem ratio est, [f.143] quia maxime amatum naturaliter amore amicitiae est ipsemet homo, et propterea hic amor sollicitat mentem statim ut inquirat quid de totius vitae statu et felicitate deliberandum sit. In qua deliberatione si eligerit bonum honestum, ut debet, accipiet a Deo alia atque alia auxilia quibus si bene utatur iustificabitur, sin minus peccabit mortaliter.

3^o PROBANT Canus et alii iuniores thomistae, quia hanc sententiam ut certam supponit Concilium Tridentinum³⁴⁵ in Decreto unionis graecorum, et Innocentius III, cap. Maiores, de baptismo³⁴⁶.

Nihilominus probabilius est puerum pervenientem ad usum rationis et adhuc haerentem in originali peccato posse peccare venialiter antequam peccet mortaliter.

Ita supponit Alexander, 4 p., q.65, membr.3, a.4, § 1 fine³⁴⁷. D. Bonaventura, 4, d.21, a.1, q.1 fine³⁴⁸. Et tenet Durandus, 4, d.4, q.7, et d.16, q.2, n.7³⁴⁹. Ricardus, 2, d.42, a.2, q.2 in

³⁴⁴ Véase nota 340.

³⁴⁵ Sic pro *Florentinum*.

³⁴⁶ *C.I.C.*, c.3, X, de baptismo, III, 42: ed Friedberg, 2, 645.

³⁴⁷ ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 4 p., q.65, mem.3, a.4 ad 2: ed. 1516, f.262v.

³⁴⁸ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 4, d.21, a.1, q.1: ed. Operum, T.4 (Quaracchi 1889) p.548.

³⁴⁹ Véanse notas 282 y 283.

solutione ultimi argumenti³⁵⁰. Paludanus, 4, d.16, q.1, a.1 fine³⁵¹. Adrianus, in 4, ubi de poenitentia, tit. De remissione peccatorum post hanc vitam, q.3 ad 3³⁵². Valencia, 1.2, disp.6, q.19, puncto 3³⁵³. Colligitur ex Soto, 1 *De natura et gratia*, c.22, col.12³⁵⁴ propter sententiam quam retulit in 1^o Dubio, conclusione 3. Et inclinatur valde Canus, in *Relectione de Sacramentis*, ad argumentum 1 contra 2^{am} et 3^{am} conclusionem³⁵⁵.

PROBATUR 1^o, quia praeceptum conversionis ad Deum vel ad bonum honestum non obligat puerum ita rigide ut non possit differri per aliquod tempus, ut probatum est in Dubio 1^o; ergo in illo tempore antequam puer iustificetur poterit exercere opera otiosa vel mentiri, quod est peccatum veniale, antequam committat aliquod mortale.

2^o PROBATUR, quia licet puer teneretur sub mortali converti quam citissime ante quodcumque aliud opus liberum, adhuc in puero nullam habentem notitiam fidei ex tali conversione non sequeretur infallibiliter statim iustificatio, sed post tempus et dependenter ab aliis operibus liberis, ut probatum est in Dubio 2^o. Quare postquam puer implevisset illud praeceptum poterat adhuc manere sub originali peccato, et tamen potuisset prolabi in peccata venialia, quae iam nullo titulo imputarentur in mortalia cum non impediat conversionem cuius praeceptum est iam impletum.

3^o PROBATUR, quia licet admittamus huiusmodi praeceptum conversionis semper obligare ad eam conversionem

³⁵⁰ RICARDUS A MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi*, 2, d.42, a.2, q.2: Brixiae 1591, p.511ss.

³⁵¹ Véase la nota 174.

³⁵² ADRIANUS VI, *Quaestiones de Sacramentis in quartum librum Sententiarum*, pro Sacramento Confessionis, De remissione peccatorum post mortem: ed.c., f.173. – No está a la letra.

³⁵³ G. DE VALENCIA, SI, *...Commentarii theologici complectens omnia Primae Secundae D. Thomae Theoremata*, disp.6, q.19, puncto 3: Lyon 1603, cols.720–724.

³⁵⁴ Véase la nota 286.

³⁵⁵ M. CANO, OP, *Relectio de Sacramentis*, p.2 ad argumentum 1 contra 1^{am} et 2^{am} conclusionem: ed. Seiry (Madrid 1770), t.2 Operum, pp.407ss.

supernaturalem quae sufficit ad iustificationem, vel admittamus ex conversione naturali infallibiliter consequi statim iustificationem, adhuc in ipsa conversione consummanda necessarium est non parum temporis consumi ut puer nuper emergens ex summa caligine percipiat res fidei et illis assensum praebet, et consideret Deum esse omnibus rebus antepo[f.143v]nendum, et hoc explere depernat concipiendo spem de auxilio divino; in hoc autem intervallo temporis poterit subrepere aliqua evagatio mentis aut inanis gloria aut aliquod simele veniale peccatum.

Respondet Canus, Corduba, Medina et Zumel, citati in hoc et praecedenti dubio³⁵⁶, et colligitur ex Vitoria citato³⁵⁷, puerum illum praeservari a Deo illo tempore ne venialiter peccet. Sed contra dicendum, quia hoc gratis dictum est in maximo praesertim privilegio immunitatis a veniali, quod nec ipsis Apostolis concessum est, nedum pueris omnibus inimicis Dei quando sub peccato originali manent. Confirmatur, quia si haec specialis providentia asseritur ad vitandum inconueniens, scilicet ne puer puniatur in inferno pro solo veniali, hoc inconueniens poterit vitari alia providentia minus supernaturali scilicet permittendo venialia et per naturalia media conservando vitam pueri donec convertatur vel mortaliter peccet, ut dicitur in prima solutione ad primum argumentum.

Caietanus, hic § Ad hoc dicitur³⁵⁸, respondet puerum teneri quam citissime eligere, ideoque mortale peccatum esse evagationem mentis aut quodlibet aliud opus ex se levissimum, quod electionem retardat. Sed hoc reiciendum est, 1^o ut rigidissima forma praecepti cuius in nulla re dabitur exemplum. 2^o, licet concedamus puerum teneri sub mortali deliberationem hanc conversionis quam citissime perficere, nihilominus dabitur aliqua mora tam parva quae licet culpa sit non sit mortalis, ut contingit in omnibus aliis praeceptis; nam quanto tempore convertuntur oculi eo solum remorari conversione nullum periculum habet

³⁵⁶ Véanse las notas 314–315.

³⁵⁷ Véase la nota 324.

³⁵⁸ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.89, a.6, § Ad hoc dicitur: ed.leon Operum Sti.Thomae, 7, 148.

alicuius momenti praesertim in puero sano, et poterit praeceptum commode impleri post illud tempus. 3^o, quia etiamsi concedamus nullam esse parvitatem materiae in hoc praecepto differendo vel impediendo, sed quemcumque actum levissimum et brevissimum esse tunc vitandum sub mortali, adhuc negari non potest quin ille actus sub mortali prohibitus possit cum semiplena deliberatione subreperere, et tunc erit venialis; ut potest etiam dari semiplene deliberatus actus non implendi praeceptum conversionis. Qui motus erit venialis.

Zumel, disp.2, p.2³⁵⁹, respondet motum semiplene deliberatum in ea occasione esse peccatum mortale, quia impedit conversio-nem. Sed hoc est prorsus improbabile, nam maxima omnium peccatorum, scilicet odium Dei, haeresim et similia, si non habeant libertatem plenam, sed tantum semiplenam et secundum quid non erunt peccata mortalia. Et contra omnem rationem est ut id quod est liberum, nisi secundum quid imputetur quasi peccatum simpliciter. Deinde, quod asserit omissionem conversionis non posse esse semiplene deliberatam, est etiam contra rationem, quia ut potest esse semiplene deliberata cogitatio de ludo et de cibo qua distrahitur a conversione facienda ita conver[f.144]sionis omissio vel retardatio ex illa proveniens potest esse semiplene deliberata. Alia denique miscet sine ullo fundamento dicta.

Alii dicunt puerum eo tempore tam fortiter moveri a Deo et ab honesto bono et a cura innata quaerendae beatitudinis ut non permittatur ad iocos vel ad alia opera distrahere animum. Sed 1^o, nullus fidelium aut infidelium fatebitur hoc fuisse expertus. 2^o, tam gravis res et supra rerum naturas et capacitatem puerorum non esse asserenda sine gravi fundamento. 3^o, falsam esse hanc doctrinam probo, quia in primo instanti usus rationis puer potest non adimplere illud praeceptum ut de facto plerique non adimplent et mortaliter peccant in omni sententia sive D. Thomae sive aliorum; ergo non obstante efficacia divinae motionis poterit non explere praeceptum hoc brevissimo tempore et explere postea, quia

³⁵⁹ F. ZUMEL, OM, *In primam secundae S. Thomae Commentarii*, q.86, a.6, disp.3, 2^o pars: ed.c., t.1, p.745b-746a.

evidens est eum qui omittit longo tempore prius, omittere in exigua aliqua parte illius temporis, qua parte exigua transacta adhuc potest implere praeceptum in sequenti tempore. 4^o reicitur, quia si tam efficaciter impelleret Deus pueros ad conversionem omnes aut fere omnes infideles quos videmus, habuissent aliquando fidem et gratiam; nam tantae efficaciae auxiliorum aut omnes aut fere omnes pueri non resisterent praeserim quia illa aetas agitur potius inclinatione et pondere quam deliberatione, et facile cedit suadenti.

Quarto probatur nostra sententia, quia illud praeceptum, licet sit, poterit invincibiliter ignorari aut certe poterit invincibiliter ignorari ille rigor praecepti de excludendo quolibet levissimo impedimento retardandi; ergo quamdiu duraverit haec ignorantia invincibilis poterit peccare venialiter iste puer et non erit peccatum mortale differre impletionem praecepti. Antecedens probatur, quia hoc praeceptum vix doctis constat, nedum rudibus; ergo poterit a pueris invincibiliter ignorari. – Respondet Zumel non esse possibilem praedictam ignorantiam, quia ipse usus rationis est cognitio boni ut obligantis et mali ut prohibiti. Sed contra hoc est, quia licet haec cognitio sufficiat ut iste puer peccet mortaliter quando vult occidere aut furari cognoscendo illa esse prohibita, non tamen sufficit ut peccet mortaliter omittendo aliquod generale decretum sequendi bonum et fugiendi malum, quia nullam legem cognoscit obligantem ad hoc generale decretum. Confirmatur, quia si forte pater pueri proponere illi opinionem probabilem quod non teneretur se convertere tam cito, sed post aliquod tempus ille non peccaret mortaliter differendo conversionem, et tamen tunc posset venialiter peccare.

[f.144v] Quinto, ad hominem, quia licet puer cognosceret illud praeceptum obligare in primo instanti usus rationis, nihilominus vix est qui cognoscat utrum iam praeterierit illud primum instans et qui tunc animadvertat se ratione uti; et quamvis hoc non impediat quin peccata possint eo tempore committi a puero si cognoscit ea tunc prohiberi nihilominus illud praeceptum quod non cognoscit tunc obligare non potest tunc violari mortali culpa. Iste autem puer quia non cognoscit usum rationis non cognoscit tunc obligare praeceptum; unde refutari possunt solutiones Zumelis ad hoc

argumentum,

Sexto probatur, quia omnes infideles qui non iustificantur in primo illo instanti usus rationis peccarent mortaliter, sequeretur in nullo infidelium esse ignorantiam invincibilem eorum omnium quae requiruntur ad iustificationem; quod falsum esse ostendetur in materia de fide. Sequela probatur, quia tenetur puer ad conversionem procurandam ex intentione suae salutis. Unde contra curam suae salutis peccat qui conversionem praetermittit et propterea imputabitur illi quod careat omnibus necessariis ad salutem etiam fide.

Septimo et efficaciter, quia contingere potest puerum pervenientem ad usum rationis habere libertatem sufficientem ut peccet venialiter et non sufficientem ut mortaliter peccet, ut probabitur in dubio sequenti.

Ex eisdem rationibus colligitur prima peccata omnium aut fere omnium puerorum esse venialia, quia obligationes quae occurrunt eo tempore pueris aut leves sunt aut quamvis graves sint ex genere, tamen in materia levi aut cum exigua deliberatione.

Ad argumenta in principio proposita RESPONDEO ad 1^{um}, respondeo 1^o: Deus decrevit nullius mortem permittere antequam vel deleatur illius peccatum originale vel mortaliter peccet, idque sine magno miraculo fieri posse inde colligitur quia exiguum tempus transigitur sine peccato mortali ab homine Dei inimico, et praeterea quia si contingat urgere mortis periculum strictius obligat praeceptum illud conversionis ad Deum unde exigui restant pueri doli capaces quos communis rerum eventus interimeret cum veniali peccato priusquam mortaliter peccaret, et hos suavi providentia potest Deus a morte eripere. Id autem pertinere ad divinam providentiam suaderi potest, quia quamvis ex naturalibus operibus bonis non sequantur infalibilter statim auxilia supernaturalia, ut supra dubio 2, nihilominus naturalia quaedam auxilia ad salutem utilia congrue sequi poterunt [f.145] praesertim in quibusdam hominibus propter specialem rationem. Huiusmodi autem auxilium naturale est vitam conservare et arcere pericula mortis quandiu puer se contineat a mortali ut vel sic variis auxiliis excitatus puer salutem possit obtinere.

Quamvis haec solutio probabilis sit sed absolute non placet

quia divinat speciales quasdam providentias Dei, praesertim cum Deus permittat pueros in maternis uteris interire sine remedio et non sit magis contra misericordiam Dei permittere ut intereat sine remedio puer habens ultra originale peccatum veniale.

Propterea respondeo 2^a: qui moriuntur cum solo originali et veniali puniendi sunt in aeternum in inferno. Ita sentit Alexander, 4 p., q.65, mem.3, a.4, § 1. fine³⁶⁰; Bonaventura, 4, d.21, a.1, q.1, fine³⁶¹; Ricardus, 2, d.42, a.2, q.2, fine³⁶²; Adrianus in 4, ubi de poenitentia, tit. de remissione peccatorum post mortem, q.3 ad 3³⁶³. Idem ut probabile tenet Henricus, quodlibet 5, q.20³⁶⁴. Et quamvis suppositionem impossibilem existiment esse dari veniale cum solo originali, tamen illa data poenam venialis futuram esse aeternam docet D. Thomas, 2, d.42, q.1, a.5 ad 7³⁶⁵, quem sequuntur Conradus hoc a.6³⁶⁶, et Capreolus, 4, d.16 ad 2³⁶⁷; Sotus 4, d.15, q.2, a.4, prope finem³⁶⁸.

Idem colligitur ex communi Doctorum dicentium numquam deleri veniale sine gratia, ut constat in 4, d.16, q.21, et 3 p., q.87, a.4. – Et quia in hoc fundamento defecerunt Durandus, Gabriel et alii ideo dixerunt poenam venialis existentis cum mortali non fore aeternam, ut constat in Durando, 4, d.16, q.2, n^o 7³⁶⁹, et in Gabrieli, eadem d., q.1³⁷⁰, Maiore³⁷¹ et aliis nominalibus.

³⁶⁰ ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 4 p., q.65, mem.3, a.4 ad 2: ed. 1516, f.262v.

³⁶¹ Véase nota 348.

³⁶² Véase la nota 350.

³⁶³ Véase la nota 352.

³⁶⁴ Véase la nota 281.

³⁶⁵ THOMAS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, d.42, q.1, a.5 ad 7: ed Vivès, t.8 (Paris 1873), p.557b.

³⁶⁶ C. KOELLIN, OP, *Expositio commentaria... in primam secundae angelici doctoris Sancti Thomae Aquinatis*, q.89, a.6: Venecia 1589, p.720b.

³⁶⁷ Véase la nota 337.

³⁶⁸ D. SOTO, OP, *In quartum Sententiarum*, d.15, q.2, a.4: Salamanca 1557, p.734.

³⁶⁹ Véase la nota 283.

³⁷⁰ Véase la nota 203.

³⁷¹ J. MAIOR, *In quartum librum Sententiarum*, d.21, q.1: Paris 1519, f.200a.

Paludanus autem, 4, d.16, q.1, de veniali existente cum solo originali existimat puniendum esse temporali tantum poena quamvis existimet puniendum esse poena aeterna veniale existens cum actuali mortali³⁷². Ratio igitur huius doctrinae est quia peccatum veniale non potest dimitti sine infusione gratiae, et culpa non dimissa semper restat idem reatus poenae, unde illius venialis poena erit aeterna per accidens, ut in simili dicitur q.87, a.3 vel 5. Erit nihilominus poena venialis remissio qualibet poena unius peccati mortalis [?].

[f.145v] Ad primam confirmationem RESPONDEO: etiam inaudita est apud Sanctos praesens quaestio et propterea non mirum si inaudita sit illius solutio, sicut etiam inaudita est apud Sanctos adversariorum sententias quod primum peccatum debeat esse mortale, et videndum restat quae solutio magis consonet antiquae theologiae. Ad confirmationem constat ex dictis.

Ad 2^{um} argumentum negatur antecedens propter dicta in dubio 1^o. Praeterea Caietanus in illa explicatione fundamenti D. Thomae miscet aliqua satis dubia et, ut existimo falsa, de quibus non vacat dicere modo.

Ad 3^{um} respondeo: perlectis illis litteris unionis graecorum cum latinis non inuenio quae verba ansam praebuerint Cano et alii thomistis dicendi sententiam D. Thomae supponi a Concilio Florentino, nisi illa quae prope finem dicuntur circa peccatorum punitionem. Dicitur enim illos homines qui culpam per poenitentiam abluerint in hoc seculo, sed nodum satisfecerint poenas dare in purgatorio, eos vero qui in actuali mortali vel solo originali decedunt mox *in infernum descendere poenis tamen disparibus puniendos*. Hic nulla fingi potest ratio colligendi numquam esse originale peccatum cum veniali, nisi forte quia meminit Concilium eorum qui cum mortali actuali et qui cum solo originali, et non eorum qui cum originali et veniali moriuntur. Sed argumentum ab auctoritate negative cum sit infirmum ut plurimum tunc praesertim nihil valet quando referuntur ea quae decreta sunt; tunc enim nihil aliud est inferendum, sed omnino praetermittendum. Et quia in Concilio Florentino nihil actum fuit

³⁷² Véase la nota 174.

de praesenti quaestione, nihil de ea dicitur in illis litteris.

Praeterea in prolixo illo capite *Maiores*, de baptismo, non inuenio alia verba quae favere videantur eidem sententiae nisi illa *Caeterae ex vi litterae, etc.*, ubi docet Innocentius eas auctoritates quae caritatem exigunt ad iustificationem intelligendas esse de iustificatione adulterorum qui commisere mortale aliquod, non vero de pueris qui sunt in solo originali. Verumtamen huiusmodi argumentum similiter ab auctoritate negative, ut praecedens, et praeterea merito Pontifex ibi non curat de venialibus peccatis, sed de solis mortalibus sive originali sive actualibus, quia licet venialia superveniant originali propterea exigitur diversa dispositio ad iustificationem impii. Et de hac dispositione controversia est in eo capite.

[f.146]

Dubitatur 4^o

Utrum quicumque potest peccare venialiter possit peccare mortaliter, et e contra

Huius dubii resolutio partim colligitur ex praecedentibus articulis, partim restat in praesenti investiganda. Et 1^o alicui homini possibile fuit peccatum mortale cui non erat possibile veniale manente statu innocentiae, ut vidimus in a.3. Idemque de originali probabile dixi a.4. Illud tamen certum est angelis non esse possibile illud peccatum quod est veniale ex solo defectu libertatis, quia cuiuscumque actionis plene dominus est angelus, quia non indiget tempore ad perspicendas omnes rationes quae pro utraque parte possunt occurrere. His exceptis, quilibet qui potest peccare mortaliter potest etiam peccare venialiter, quia libertas quae sufficit in materia gravi sufficit ad veniale in materia levi.

Sed praecipue difficultas, utrum detur aliquando libertas sufficiens ad veniale peccatum, quae non sufficiat ad mortale.

Negativa sententia est D. Thomae in praesenti articulo, corpore, et in 2, d.42, q.1, a.5 ad 7³⁷³, et aliis in locis. Et quamvis limitare videatur suam sententiam ad veniale ex genere, nihilominus ad eius doctrinam de impossibilitate venialis cum solo originali opus est quodcumque veniale non posse committi a puero qui non possit peccare mortaliter; et praeterea eius ratio aequaliter procedit in defectu libertatis ratione aetatis aut ratione morbi aut somni aut ebrietatis. Sententiam D. Thomae sequuntur D. Antoninus, 1 p., tit.10, cap.1, § 1, et tit.13, cap.2, § 3³⁷⁴; Capreolus, 4, d.16, q.1, a.3 ad 2³⁷⁵, et expressius Caietanus³⁷⁶ et Conradus³⁷⁷ hic, ubi Medina³⁷⁸, Zumel³⁷⁹, Vitoria, 2 p., *Relectionis de pervenientibus ad usum rationis*, dub.4, n^o 11³⁸⁰. Haec sententia eo praesertim fine videtur esse quaesita ne umquam veniale existeret cum solo originali, quo in puncto, cum discesserimus a D. Thoma nihil mirum si etiam in decisione huius quaestionis discedamus. Alia vero argumenta huius sententiae solventur infra.

Sit ergo CONCLUSIO: *Contingere potest aliquem habere tam exiguam libertatem ratione aetatis vel morbi vel somni ut possit peccare venialiter et non mortaliter.* Ita sentit Adrianus in 4, in materia de poenitentia, tit. De remissione peccatorum post mortem, q.3 ad 3³⁸¹; valde innuit Durandus, 4, d.16, q.2, n.7³⁸². Et favent omnes Doctores qui in praecedenti dubio existimant posse dari veniale cum solo originali.

PROBATUR, quia designato illo instanti a quo habuit puer libertatem sufficientem ad peccandum mortaliter, immediate ante

³⁷³ Véase la nota 365.

³⁷⁴ Véase la nota 336.

³⁷⁵ Véase la nota 337.

³⁷⁶ Véase la nota 340.

³⁷⁷ Véase la nota 366.

³⁷⁸ Véase la nota 341.

³⁷⁹ Véase la nota 333.

³⁸⁰ F. DE VITORIA, OP, *Relectio de eo ad quod tenetur hamo cum primum venit ad usum rationis*, 2 p., dub.4, n^o 11: ed.c. (BAC 198), pp.1361-1365.

³⁸¹ Véase la nota 352.

³⁸² DURANDUS A S. PORTIANO, *In Senentias theologicas Petri Lombardi...*, 4, d.16, q.2, n.7: Amberes 1566, f. 336v.

illud instans habuit puer minorem et minorem [f.146v] libertatem; ergo immediate ante illud instans puer potuit peccare venialiter et non mortaliter. Confirmatur 1^o, quia infra libertatem sufficientem ad mortale dantur gradus minores et minores libertatis. Alias quaelibet libertas quantumcumque exigua sufficeret ad mortale. Confirmatur 2^o, quia libertas numquam deficit hominibus nisi solummodo quia deficit debita dispositio corporalium potentiarum a quibus pendet intellectus in corpore. Haec autem dispositio succesive advenit et recedit; provenit enim ex primis qualitatibus scilicet humiditate, siccitate, calore, et frigore, ut constat in libro *De anima*. Confirmatur 3^o, quia quotidie experimur nos cum primum somno surgimus nonnihil esse nostri compotes, sed parum et paulatim recuparare vim rationis et libertatem. Et rursus eandem paulatim amittere quando incipimus dormire.

Sed Caietanus hic respondet, ad veniale peccatum requiri non minorem libertatem quam ad peccatum mortale. Quod probant aliqui iuniores, quia nullus potest venialiter peccare nisi qui possit honestum a turpi discernere et possit eligere quodlibet illorum. Hoc autem sufficit ad peccatum mortale. Confirmant, quia peccatum veniale non committitur nisi cognoscatur esse peccatum aut saltem possit et debeat cognosci; qui autem cognoscit minus malum potest facilius cognoscere maius malum. Sed haec solutio redarguitur et solvuntur eius argumenta concedendo eum qui potest cognoscere malum leve posse etiam cognoscere malum grave. Caeterum haec cognitio non sufficit ad peccatum mortale, imo nec ad veniale, nam etiam amentes et dormientes saepe id cognoscunt; requiritur enim ad libertatem potestas movendi imaginativam ab uno obiecto in aliud ne vis alicuius apprehensionis imaginativae rapiat intellectum et voluntatem ut melior fortiorque cognitio alterius obiecti voluntatem retineat; haec autem potestas movendi imaginativam potest esse maior et minor, ut dictum est.

Praeterea horum Doctorum argumenta retorquentur in ipsos, quia discernere honestum a turpi et eligere unum relicto alio non sufficit ut sit peccatum mortale in motibus secundo primis idque quia non est plena potestas et dominium supra actum; ergo posset discernere honestum a turpi contingere potest sine plena libertate atque adeo dari potest potestas peccandi venialiter sine potestate

peccandi mortaliter. Et quamvis in motibus secundo primis id proveniat quia tam brevi tempore non poterat homo sine summo conatu et difficultate cohibere actum, nihilominus idem contingere potest ratione dispositionis organorum. Nulla enim ratio est propter quam hoc repugnet potius quam illud.

[f.147] Aliqui respondent ad veniale peccatum sufficere semiplenam deliberationem quae in exercitio tantummodo est semiplena. Nam si etiam in facultate permanente deliberandi desit plenitudo tunc non sufficiet plena deliberatio ad mortale; sed hoc nulla ratione probatur, et praeterea cum ratione repugnat, quia imputabilitas necessario resultat ex libertate; unde ex libertate semiplena resultabit semper imputabilitas semiplena et praeterea etiam si potentia non habeat plenam libertatem imputabitur illi actus malus quasi veniale peccatum.

Sed obiciunt: quicumque potest peccare venialiter potest mereri; ergo potest etiam peccare mortaliter, quia non minus libertatis requiritur ad meritum simpliciter quale est praemii simpliciter quod est vitae aeternae quam requiritur ad demeritum simpliciter quale est mortalis peccati. Respondeo: si praemium tribueretur a Deo propter dignitatem operis seclusa Dei liberalitate valeret plurimum argumentum; at vero praecipua condignitas operum nostrorum ad praemium nascitur ex liberali promissione Dei. Unde non mirum si ex liberalitate promiserit praemium beatitudinis operibus quae non sunt simpliciter libera. Peccatis vero non demeremur nisi quantum ipsa natura peccatorum postulat. Ita respondere debet qui existimaverit opus deliberatum secundum quid esse posse meritorium vitae aeternae. Hoc autem ita esse nec exploratum est nec in praesenti disputandum, sed videtur dignum ut pie de divina liberalitate credatur.

Ultima conclusio: Potest a Deo infundi aliquis habitus quo infallibiliter contineatur homo ne peccet mortaliter quamvis venialiter peccet. Hoc probo eodem modo proportionaliter quo supra, a.3, probavi infundi posse habitum quo aliquis contineatur ne peccet venialiter non tamen ne peccet mortaliter. Et ratio breviter est, quia gratiae conservatio est aliquod bonum quod potest tam perfecte cognosci et tam intenso habitu amari ut infallibile sit numquam eliciendum esse contrarium actum, et

tamen ratione huius habitus non impediatur infallibiliter veniale peccatum quod non destruit gratiam; potuit autem huiusmodi habitus esse in Apostolis et in aliis confirmatis in gratia. Vide quae de infallibilitate dixi 1 p., disp. de praedefinitionibus, q.4 et 5, et praesertim q.6³⁸³.

Quaeri potest praeterea, utrum peccatum veniale possit esse in sensualitate. De quo dicendum est in q.74, a.3. Et utrum possit in ratione superiori, de quo in a.9 eiusdem quaestionis.

De remissione venialium dicendum est ubi de poenitentia.

De potestate vitandi venialia, ubi de gratia.

Et de mortali et veniali hactenus.

[f.147v] Redeamus eo ubi dimisimus seriem quaestionum D. Thomae.

Y sigue el comentario a la q.72 de Santo Tomás que D.m. seguiremos ofreciendo a nuestros lectores en próximos números de la revista.

³⁸³ Véase la nota 263.